DE
CONSECUTIONE TEMPORUM CICERONIANA
CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE LITERARUM ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MARTINUS WETZEL

IN GYMNASIO HAGIOPOLITANO MAGISTER.

LIPSIAE.

EX OFFICINA B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXVII.

VIRO

DOCTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO

PRAECEPTORI SUO CARISSIMO

JOSEPHO KRAMARCZIK

GYMNASII HAGIOPOLITANI QUONDAM DIRECTORI AQUILAE RUBRAE TERTIAE CLASSIS EQUITI

PIO GRATOQUE ANIMO

HUNC LIBELLUM SACRUM ESSE VULT

SCRIPTOR.

Multos admodum inveniri cum in omnium scriptorum Romanorum tum in Ciceronis libris locos, qui vulgaribus grammaticorum de consecutione temporum, quae vocatur, praeceptis adversentur, quis est hac aetate, qui nesciat? Itaque huc quoque pertinet verissimum illud Facciolatii, si tota laus Latinitatis in eo consisteret, ut sine bararismis et sine soloecismis esset oratio, ne ipsum quidem Ciceronem Latinum esse, cuius libri, si ad grammaticorum cavillationes exigerentur, soloecismis non carerent.[1]) Et vero superiores viri docti, ut Lambinus Turnebus Manutius Ernestius alii, in illiusmodi locis vitia a scribis profecta inesse rati textum ita mutare soliti sunt, ut illis legibus satis fieret; quos qui sequantur, etiam nostra aetate haud paucos inveneris.[2]) Rectius autem ii fecerunt, qui cum non Latinum sermonem ex grammatica, sed grammaticam ex

---

1) Facciol. orat. I. p. 7.

2) Eadem haec ratio est, quam Hoffmannus (Die Construction der lat. Zeitpartikeln. Wien. 1873. de. II. p. 46 sq.) vituperat, cum in eos, qui imperfectum vel plusquamperfectum coniunctivi post *postquam* mutandum esse censuerunt, sic invehitur: *Beachtenswerth ist es jedenfalls, dass gerade bei Cicero eine verhältnissmässig grosse Zahl von Stellen sich findet, in denen postquam mit dem Conjunctiv des Imperfects oder Plusquamperfects construirt ist — und wenn auch fast allen diesen Stellen von Seiten der Kritik der Krieg erklärt worden ist, so war es doch nur Missbehagen an dieser Construction überhaupt, nicht aber die Beschaffenheit der handschriftlichen Ueberlieferung, welche diese Stellen verdächtigte.* Neque vero ego solus hoc idem de iis locis, qui ad consecutionem temporum pertineant, fieri etiamnunc solere arbitror. Satis sit duo in hanc rem attulisse testimonia. A Kramarczikio (Die Lehre von der consecutio temporum. Progr. Heiligenst. 1855. praef.) sic scriptum videmus: *Es werden noch immer selbst häufig vorkommende Fälle verkannt oder als Unregelmässigkeiten mit mehr oder weniger Nachsicht gegen die römischen Schriftsteller behandelt, und nicht wenig Stellen haben in Folge falscher Theorieen ihre überlieferte Echtheit eingebüsst.* Et Hugo Lievenius (Die consecutio temporum des Cicero. Riga. 1872. praef.) ita dicit: *Ich habe bei Benutzung der Kayserschen Ausgabe die Erfahrung gemacht, dass für eine unbefangene empirische Betrachtung die Benutzung eines Textes geradezu zweckwidrig und störend ist, in welchem eine radicale Kritik sich auch auf diesen Punkt erstreckt hat, für den die Grundlagen erst festgestellt werden sollten. Hiermit will ich keineswegs der Conjecturalkritik ihr Recht bestreiten, auch auf diesem Gebiet zu operiren, wenn erst der Sprachgebrauch genügend festgestellt ist, aber auch dann noch ist die grösste Behutsamkeit erforderlich.* Conf. Rothii quaest. gramm. ad usum Plauti potissimum et Terentii spectantes (Berol. 1876) p. 1 sq.

Latino sermone nasci, ut eiusdem illius Facciolatii verbis utar,[1]) sibi persuasissent, quidquid parum verum esse in traditis illis regulis videbant, correxerunt aliqua ex parte atque emendarunt.[2]) Imprimisque Lievenium nuperrime tam accurate de hac re quaesivisse dixit Andresenius, ut singularem in syntaxi Latina progressionem factam esse appareret.[3])

Ego vero etsi non infitior pleraque ab illis recte tractari coepta esse, tamen vereor, ne vel sic permulti loci restent, qui non satis illustrati esse videantur. Ac deliberanti mihi saepenumero in eo potissimum omnium errorum fons et causa posita esse visa est, quod temporum consecutionem illud efficere, ut tempora in coniunctivo enuntiatorum secundariorum non omni ex parte eandem vim retineant, quam in indicativo habent, sed sola verbi regentis forma definiantur, plerique opinantur.[4]) Quod quidem indoli orationis Latinae, qua nullam facile diligentius rationis leges sequi inter omnes constat, minime convenire quis est quin videat? Quare hoc exemplis satis multis demonstrare institui, singulorum temporum vim atque significationem eandem esse tam in indicativo quam in coniunctivo, ita ut, cur quodque tempus positum esset, non ex certa quadam stabilique consecutione, sed ex genuina cuiusque vi intellegi deberet, utque nulla esset, si accurate diceremus, temporum consecutio. —

Cum modus indicativus aliquid esse indicet, coniunctivus hoc significat, cogitatione fingi aliquid esse. Haec autem cogitatio aut eius est, qui loquitur, aut eius, qui in enuntiato primario vel grammatice vel logice, ut aiunt, subiecti locum obtinet. Sequitur, ut duo sint genera enuntiatorum pendentium in coniunctivo positorum, alterum eorum, quae cogitationem eius, qui loquitur, indicant, alterum eorum, quae subiecti enuntiati primarii sententiam effingunt.

---

1) Facciol. orat. p. 15.

2) In quo numero singularem aliquem locum obtinet Kramarczikius, cuius de hac re libellum a recentioribus ignoratum esse valde mirum est. Etenim Reuschius (Zur Lehre von der Tempusfolge. Progr. Elbing. 1861) et Lievenius de eis, quae ipsi invenisse sibi videntur, iam illum recte iudicasse nesciunt. Tanta autem iudicii subtilitate atque acumine tantaque orationis Latinae intellegentia libellus ille conscriptus est, ut eo solo lecto, quid de consecutione temporum Latina iudicandum esset, apud animum meum constituerim et, postquam ceteros illos, qui de hac re editi sunt, libros adierim, nihil fere mutaverim, perpauca addiderim.

3) Zeitschrift für das Gymnasialwesen. 1873. p. 372.

4) Haec sententia a Gossravio (Lat. Sprachl. Quedlinburg. 1869) maxime probata et usque ad extremum perducta est. Distinguit enim non praesentis, imperfecti, perfecti, plusquamperfecti coniunctivos, sed actionis imperfectae et actionis perfectae tam coniunctivos quam subiunctivos. *(Der Conjunctiv zerfällt in zwei Arten, und jede Art hat wieder zwei Formen, hat aber kein Tempus.* p. 157. conf. p. 435 sq.)

Quodsi quaerimus, quaenam sint orationis Latinae, imprimis Ciceronianae, de consecutione temporum leges, nihil antiquius nobis habendum est, quam ut ne hoc, quod exposuimus, sententiarum pendentium discrimen unquam neglegamus aut seponamus. In hoc enim discrimine omnis haec quaestio vertitur, quod iam Lievenium sensisse video.[1]) Quod verum esse quo planius perspiciatur, singula hoc loco enuntiatorum secundariorum genera ita percensebo, ut, quae in quibusque tempora inveniantur et quibus legibus causisque, exquiram.

---

1) l. c. p. 13: *Aber es findet hier* — regente perfecto sive praeterito — *doch im Ganzen eine strengere Abhängigkeit statt, welche nicht so feine Unterschiede der directen Darstellung festzuhalten gestattet, wie bei der Abhängigkeit vom Präsens, namentlich dann nicht, wenn die abhängigen Sätze aus dem Sinne einer Person des regierenden Satzes ausgesagt sind (was ich meinen Schülern mit dem Namen subiectiv-oblique Darstellung zu bezeichnen pflege).* Et ibid. p. 33: *Unter Punkt d. habe ich in der dritten Ausnahme unter der zweiten Hauptregel alle Relativsätze genannt, sofern sie nicht final sind, ich hätte lieber mit umfassenderem Ausdrucke 'subiectiv-oblique' sagen sollen. Dieser Punkt hätte schon bei der Begründung der gesammten Ausnahmsregel besprochen werden können.*

Cap. I.

De interroatione obliqua.

§. 1.

Cum in omnibus eis enuntiatis, quae subiecti primarii cogitationem continent, tum in interrogationibus obliquis regente praesenti, quod quidem praesentem subiecti sententiam effingit, id tempus usurpatur, quod etiam tum, si enuntiatum non a primario aliquo penderet, sententiarum indole postularetur. Ita fit, ut non praesentia solum et perfecta, sed etiam imperfecta et plusquamperfecta cum praesentibus coniungantur. Ac si non pendente interrogatione coniunctivus imperfecti vel plusquamperfecti, imprimis dubitativus et condicionalis, poneretur, etiam pendente illud tempus usurpandum esse Seyffertus[1]) Lievenius[2]) alii docent. Conf. in Vatin. (§.) 5: *Sed quaero a te, cur C. Cornelium non defenderem.* Verr. II, 4, 13: *Verumtamen a vobis ita arbitror spectari oportere, quanti haec eorum iudicio, qui studiosi sunt harum rerum, aestimentur, quanti venire soleant, quanti haec ipsa, si palam libereque venirent, venire possent.* Brut. 151: *Atque haud scio an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit cet.*

Sed etiam tum, si recta interrogatio indicativum haberet, post praesens invenitur imperfectum (vel plusquamperfectum), si quidem vis propria imperfecti, imprimis relativa, valet. Conf. ad Att. III, 20, 1: *Sed tibi venire in mentem certo scio, quae vita esset nostra, quae suavitas, quae dignitas.* Nam quod Lievenius hunc coniunctivum *esset* condicionalem esse putat,[3]) ego non assentior. Obstare enim mihi videntur primum verba *tibi venire in mentem,* pro quibus, si Lievenio assentiaris, exspectes *cogitatione te fingere,* tum quae sequuntur, *ad quae recuperanda incumbe;* nam ea, quae fuissent vel essent ac non fuerunt, comparantur, non recuperantur. Recte igitur Haasius[4]) coniunctivo *esset* in recta interrogatione respondere putat indicativum *erat,* quod imper-

---

1) gramm. Ellendt. §. 245, 5.
2) l. c. p. 29.
3) l. c. p 30.
4) ad Reisig. p. 592. not. 498.

fectum propter relationem, quam habet ad aliud quiddam praeteritum (sc. antequam in exsilium profecti sumus) esset positum. p. Cael. 62: *Cur enim potissimum balneas publicas constituerat? in quibus non invenio quae latebra togatis hominibus esse posset.* Hoc loco iure imperfectum cum praesenti coniunctum esse et Kramarczikio[1]) et C. F. G. Muellero[2]) videtur. Et vero '*posset*' *(konnte)* positum est propter relationem ad actionem praeteritam constituendi. Eadem sine dubio ratione explicandum est Lael. 2: *Meministi enim profecto. Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, cum is tribunus plebis capitali odio a. Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quocum coniunctissime et amantissime vixerat, quanta esset hominum vel admiratio vel querela.* Relatum est enim *esset* ad actionem praeteritam dissidendi. Perperam Petersius attractionem quandam temporum ita factam esse putat, ut propter interposita tempora praeterita denique etiam praeteritum tempus coniunctivi *esset* sequatur.[3])

Errat igitur Madvigius, cum rectae interrogationi *Quanto in honore musica apud Graecos erat?* obliquam hanc respondere dicit: *Quis nescit, quanto in honore musica apud Graecos fuerit?*[4]) Hoc equidem concedo, ea enuntiata, in quibus imperfectum post praesens inveniatur, rarissima esse, non tamen grammaticam, sed naturam sententiarum impedire, quominus saepius usurpentur, affirmo. Agitur enim cogitatio praesens; quoniam autem perfectum ab imperfecto hac re discrepat, quod hoc actionem ad tempus praeteritum referendam esse indicat, illud simul eventus eius, qui est praesenti tempore, rationem habet, sequitur, ut, si actionem vel rem, quae praeteriit, nunc cogitem, ad eventum plerumque spectem.[5])

§. 2.

Si cogitatio subiecti primarii in praeteritum tempus cadit, imperfectum (vel plusquamperfectum i. e. imperfectum perfecti sive actionis perfectae) adhibetur. Atque cum ex tempore verbi regentis intellegi soleat, utrum illa cogitatio, quippe quae actioni verbo regenti indicatae adiuncta sit, ad praeteritum tempus referenda sit necne, coniunctivum imperfecti et plusquamperfecti post praeterita poni apte fere dicitur. Itaque cum imperfecto, plus-

---

1) l. c. p. 12.
2) Philol. XIX. p. 627.
3) De attractione quadam temporum ac modorum linguae Latinae (Progr. Deutsch-Krone. 1861.) p. 10. Hanc tam audacem interpretationem Draegerus (Synt. hist. I. p. 294) et C. F. G. Muellerus (ad Lael. ed. Seyff. p. 16) sequuntur.
4) gramm. §. 382. Conf. Ell. et Seyff. gr. §. 242. not. 1.
5) Confer Plaut. Men. 714 (V, 1, 14): *Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem Graii esse praedicabant?* cum ceteris locis, ubi indicativus in interrogatione obliqua invenitur, perfecto usus sit.

quamperfecto, perfecto historico, plerumque etiam cum perfecto logico, quod vocant, verbi regentis coniungi solet imperfectum vel plusquamperfectum enuntiati secundarii. Mitto rem notissimam exemplis probare: hoc unum moneo, etiam tum imperfectum usurpari, si interrogatione obliqua ea res exprimatur, quae omnibus temporibus valeat, qualibus locis in recta oratione praesenti utimur.[1]) Nam si dicimus '*quaesiverunt, num terra moveretur*', quoniam per omnia tempora terra movetur, eiusmodi locis nullo modo fieri posse, ut temporibus interrogationis obliquae eandem vim esse quam temporibus indicativi putemus, forsitan quispiam dixerit. At terra non solum nunc movetur, sed etiam tum movebatur, cum illi quaesiverunt. Ac si apud Horatium[2]) sic scriptum videmus:

diu
Lateque victrices catervae
Consiliis iuvenis revictae
Sensere, quid mens, rite quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset,

tenendum est mentem et indolem rite nutritam cum omnibus aetatibus multum valere tum illo tempore plurimum potuisse, et vero, si accurate dicimus, non illud, sed hoc Vindelicos sensisse. Atqui proprium est sermonis Latini in enuntiato secundario pro praesenti uti imperfecto etiam indicativi, quod actionem vel rem enuntiati secundarii subiunctam esse actioni primarii praeteritae clarius etiam tempore significet. Quem quidem usum attractionem temporum grammatici vocaverunt, de qua plura invenies apud Petersium.[3]) Satis sit hos attulisse locos: de nat. deor. II, 121: *Pastum autem animalibus large et copiose eum, qui cuique aptus erat, comparavit.* ibid. II, 122: *Manus autem data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum. At quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem.* ibid. II, 160: *Sus vero quid habet praeter escam? — qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius.* His, quae Petersius attulit, exemplis alia multa adiungi possunt. Confer Tusc. II, 43: *Atqui vide ne, cum omnes rectae animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab ea, quae una ceteris excellebat, omnes nominatae sint.* ibid. IV, 54: *Bene igitur nostri, cum omnia essent in moribus vitia, quod nullum erat iracundia foedius, iracundos solos*

1) Conf. Bassium (Die Tempusfolge in conjunctivischen Nebensätzen. I. Progr. Gumbinnen 1871.) p. 5.
2) Hor. carm. IV, 4, 22 sqq.
3) l. c. p. 6.

morosos nominaverunt. de or. III, 72: *Namque, ut ante dixi, veteres illi usque ad Socratem omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad virtutem, quae ad rempublicam pertinebant, cognitionem et scientiam ratione iungebant.* Quod autem haec attractio temporum indicativi non postulatur more Latino, id quod Petersius monet, loci probant, consecutio, quae vocatur, de qua nos hoc loco agimus, postulatur: nihil, credo, impedit, quominus attractionem illam et consecutionem eisdem causis ac principiis orta esse iudicemus.

Habes igitur, qui explices, cur cum praeteritis verbi regentis coniungatur imperfectum (vel plusquamperfectum).[1]

§. 3.

Cum perfecto autem logico saepissime etiam praesens vel perfectum a Cicerone coniungi facile intellegitur ex eis exemplis, quae viri docti collegerunt. Quaeritur, quidnam sit discriminis inter hoc dicendi genus et eam rationem, de qua supra diximus. Et Seyffertus quidem praesens vel perfectum tum fere poni iudicat, si perfectum logicum praesenti prorsus commutari possit, ut *novi* aequale fere est *scio, oblitus sum* aequale *nescio,* et similia; imperfectum autem vel plusquamperfectum inveniri eis locis solere, quibus consilium, quod actioni perfectae antecesserit vel singula illius incrementa, qualia vocabulis *diu multum saepe* similibus indicentur, ante oculos versentur.[2] Et vero ita rem se habere consentaneum videtur. Nam omne perfectum medium quendam locum obtinet inter praesens tempus et praeteritum. Significat enim actionem aliquam praeterito tempore factam esse eventumque eius praesenti ante oculos versari. Atque hoc prae illo prorsus neglegitur in perfectis historicis, illud prae hoc in eis, quae praesentis loco usurpantur, ut *novi memini*[3] *odi,* in ceteris denique perfectis logicis utrumque declaratur, ita tamen, ut modo hoc modo illud maiore vi indicetur. Quodsi verum est, quod supra diximus, in enuntiato pendenti imperfectum idcirco usurpari, ut actionem secundarii enuntiati cogitatam actioni primarii subiunctam esse ipso tempore significaretur, tum imperfecto vel plusquamperfecto utendum esse apparet, si cogitationem illam, quae enuntiato secundario continetur, ipsi actioni praeteritae, praesenti vel perfecto, si eventui actionis praesenti adiunctam esse forma perfecti logici exprimere volumus. Hoc autem si fit, ut eventui adiungatur cogitatio, perfectum logicum facillime commutari posse praesenti manifestum est. Quodsi

---

1) Conf. etiam quae Rothius l. c. p. 44 disputavit.

2) gramm. Ell. §. 243. not.

3) Verbum *meminisse* cum praesenti vel perfecto coniungi notum est. Conf. ad fam. VII, 17, 2. VIII, 10, 15. de fin. II, 10. p. Rab. perd. reo 7.

scriptum videmus de nat. deor. II, 2: *An, inquit, oblitus es, quid initio dixerim,* cogitationem, quae verbis *quid initio dixerim* continetur, non obliviscendi actioni adiunctam esse patet, sed eventui eius id est ignorantiae, ut *oblitus es* aequale sit *nescis (du weisst nicht mehr).* Confer de leg. agr. II, 80: *An obliti estis, Italico bello, amissis ceteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis?* ad fam. XI, 27, 4: *Oblitumne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento advolaris?* p. Rab. perd. reo 7: *In quo ego demiror meminisse te, quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus, oblitum esse, quid aequi et iurati iudices iudicaverint.* Addi possunt p. Planc. 57: *ut, unde audierit, oblitus sit.* de fin. II, 98: *quid tibi dicendum sit, oblitus es.* ad fam. VIII, 6, 2: *Quid mihi discedens mandaris, memini; quid ego tibi scripserim, te non arbitror oblitum.* Quamquam in his exemplis praesens vel perfectum etiam alia ratione interpretari liceret, nisi illa maxime consentanea videretur.[1]) Iam vero multa sunt perfecta, quae pro praesenti *scire* ponantur, velut *didicisse, cognovisse, intellexisse, audivisse, accepisse, animadvertisse.* Confer de fin. III, 66: *Quemadmodum igitur membris utimur prius quam didicimus, cuius ea causa utilitatis habeamus, sic inter nos natura ad civilem communitatem coniuncti et consociati sumus.* de rep. II, 64: *Nec tamen didici ex oratione tua istam ipsam rempublicam, quam laudas, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere vel conservare possimus.* Utraque coniunctio, et imperfectum et praesens, post verbum *didicisse* invenitur Phil. II, 117: *Sed et plurimis malis, quae ab illo reipublicae sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit iam populus Romanus, quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Haec non cogitas? nec intellegis satis esse viris fortibus didicisse, quam sit re pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere?* Hoc videlicet loco primum actioni discendi tum eventui eius cogitatio annexa est. Confer porro ad fam. VI, 9, 2: *cum cognorim, quid tu sentias.* de leg. agr. II, 47: *Intellexistis, quot res et quantas decemviri legis permissu vendituri sint.* p. Mil. 34: *Audistis, iudices, quantum Clodii interfuerit occidi Milonem.*[2]) ad Att. I, 16, 4: *Me vero teste producto credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse, quae consurrectio iudicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint.*[3]) ad fam. I, 9, 21: *Accepisti, quibus rebus adductus quamque rem causamque defenderim, quique meus in re publica sit pro mea parte capessenda status.* de nat. deor.

---

1) cf. §. 6.
2) Sic enim lacuna, quae in codicibus invenitur, optime expletur.
3) Haesitarunt docti (vid. Beckerum de syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores Latinos in Studemundi studiis in

III, 4: *A Balbo autem animadvertisti, credo, quam multa dicta sint.* Verba autem *testatum, exploratum, demonstratum esse* facile mutaveris verbo *apparere.* Conf. ad Att. VIII, 9, 1: *Ea enim et acciderunt iam et impendent, ut testatum esse velim, de pace quid senserim.* ad fam. II, 3: *Rationem meam dicam, ut aut te in meam sententiam adducam, aut certe testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim.* Verr. II, 5, 164: *Nunc quoniam exploratum est omnibus, quo loco causa tua sit et quid de te futurum sit cet.* de fin. II, 92: *An id exploratum cuiquam potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus, non dico ad vesperum.* Verr. II, 2, 165: *quod simul demonstratum est, quantum odium in te aratorum, quantum omnium Siculorum sit et fuerit.* Pro *constitui* dici poterat *constat* vel *certo scio* ad fam. XI, 27, 1: *Nondum satis constitui, molestiaene plus an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster.* Simili ratione usus est Cicero perfecto *constitisse* de fin. V, 89: *Sed cum constiterit inter doctos, quanti res quaeque sit cet.* Iam *informatum est nobis* idem fere est quod *natura scimus;* conf. de fin. V, 36: *quibus quasi informatum est, quid hominis natura postulet.* Eisdem de causis post *coepisse* et *desiisse* praesentia vel perfecta inveniuntur; nam *quaerere coepi* aequale fere est *quaero, quaerere desii* aequale *iam non quaero.* Conf. ad fam. IX, 10, 3: *Nunc quaerere desierunt, quomodo petierit.* de fin. V, 41: *Cum autem dispicere coepimus et sentire, quid simus et quid ab animantibus ceteris differamus, tum ea sequi incipimus, ad quae nati sumus.*[1]) Simi-

---

priscos scriptores Latinos collatis Vol. I. fasc. I p. 246; conf. Rothium l. c. p 8) in loco, qui est apud Plautum (Amph. 745):

Quippe ex te audivi, ut urbem maxumam
Expugnavisses regemque Pterelam tute occideris.

Exspectari enim Beckerus dicit *expugnaveris.* Mihi vero ipsi quoque coniunctio *que* obstare videtur, quominus alterum verbum ad actionem praeteritam audiendi, alterum ad eventum praesentem sciendi relatum esse iudicemus. Attamen plusquamperfectum defendi posse contendo. Propria enim hoc loco vis plusquamperfecti valet, quoniam expugnatio antecessit actioni praeteritae occidendi. Raro id quidem evenit, ut coordinatis verbis prius ad posterius revocatum sit, sed apud ipsum Ciceronem, si quidem codices, non editorum coniecturas sequimur, eiusmodi exemplum invenitur. Conf. p. Mur. 89: *Quanta autem perturbatio (erit) fortunae atque sermonis, cum, quibus in locis paucis ante diebus factum esse consulem Murenam nuntii literaeque celebrassent et unde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente exsistet ipse nuntius suae calamitatis!* quo loco Richterus et Halmius scripserunt *celebrarint.* Plusquamperfectum autem in interrog. obl. propria vi usurpari posse ex §. 1. elucet.

1) Lievenius l. c. p. 17 praesentia *simus* et *differamus* propter praesens enuntiati primarii *incipimus* posita esse arbitratur. Ego vero etiam in eiusmodi enuntiatis, ubi perfectum antecedentem tantum, non praeteritam actionem indicat, imperf. vel plusqu. ponendum esse, nisi alia ratione praes. vel perf. defendatur, postmodo (§. 9.) demonstrabo.

liter coniungitur *nata est indagatio*, cum idem fere sit atque *coeperunt indagare*, primum cum imperfecto, ut ad actionem praeteritam, tum cum praesenti, ut ad eventum praesentem cogitatio relata esse videatur, Tusc. V, 69: *Inde est indagatio nata initiorum et tamquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta, quaeque cuiusque generis vel inanimi vel animantis vel muti vel loquentis origo, quae vita, qui interitus quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio, unde terra et quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur, qua omnia delata gravitate medium mundi locum semper expetant.* Iam si Phil. III, 19 scriptum videmus: *Quoniam res in id discrimen adducta est, utrum ille poenas reipublicae luat an nos serviamus,* substituere facile possumus *in eo discrimine versatur. Positum esse* porro verbo *consistere* simillimum esse quis non videt? Conf. or. 27: *Negat in eo positas esse fortunas Graeciae, hocine an illo verbo usus sit, huc an illuc manum porrexerit.* Et de off. I, 118: *quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est,* sic explicandum est: *datum est ut deligant*. Huc denique pertinet de fin. IV, 13: *Quam multa ab iis conquisita et collecta sunt* (aequale *exstant*) *de omnium animantium genere, ortu, membris, aetatibus! quam multa de rebus iis, quae gignuntur e terra! quam multae quamque de variis rebus et causae (sc. collectae sunt* vel *exstant), cur quidque fiat, et demonstrationes (sc. exstant), quemadmodum quidque fiat!*

§. 4.

At vero etiam ea perfecta, in quibus integra inest praeteriti temporis significatio, ut cogitationem enuntiati secundarii non ad eventum praesentem, sed ad actionem praeteritam relatam esse putandum videatur, non raro cum praesentibus vel perfectis coniunguntur. Et Seyffertus quidem eiusmodi locos prorsus neglexit.[1]) Reuschius autem etsi ab eis, in quibus praesens substitui potest, diversos esse monet, tamen quae causa huius rei putanda sit, non dicit.[2]) Lievenius primus, quod ego sciam, explicare studet, qui illud fiat, cum praesens et perfectum post perfecta tum inveniri dicit, si praegnanter ea usurpata sint.[3])

---

1) Andresenius l. c. p. 367 ex voce illa *gewöhnlich*, qua Seyffertus utitur, cum post perfectum logicum imperfectum vel plusquamperfectum tum inveniri docet, si consilium, quod antecessit, vel singula incrementa actionis ante oculos versentur, intellegi putat eiusmodi locos ab illo non ignoratos esse.

2) l. c. p. 11. Quamquam ille nonnulla huc refert enuntiata, quae sunt relativa, non interrogationes obliquae, ut p. Rosc. com. 14. ad Att. VIII, 12, B, 1. Verr. II, 1, 80. Eodem errore ductus est Bassius (Zur Tempusfolge in conjunctivischen Nebensätzen. II. Progr. Gumbinnen. 1872. p. 7.).

3) l. c. p. 15—18. Scribit p. 18: *Wir sehen also, dass in der Regel*

Equidem tantum abest, ut perfectum ita praegnanter usurpari posse, ut praesens aliquod subaudiatur, negem, ut ipse ista, quam ille omnibus locis, ubicunque praesens vel perfectum cum perfecto coniungitur, factam esse iudicat, constructione praegnanti sumenda nonnullos saltem locos interpretandos esse existimem.[1]) Sedtamen minime Lievenio assentior. Nam quod Zumptium reprehendit, qui huiuscemodi enuntiata '*diu dubitavi num melius sit*' auribus Latinorum ferri posse negaverit, vereor, ne maximo errore ducatur licentiamque sermonis Latini in hac re aequo maiorem fingat. Iam cum in Seyffertum invehitur, qui praesens et perfectum tum ursurpari dixerit, si perfectum logicum praesenti commutari posset, non videt duo genera esse locorum, quibus praesentia et perfecta perfectis iungantur, quorum in alterum tantum Seyffertus suam vult cadere regulam, alterum etsi neglectum ab illo, at non ignoratum esse Andresenius monet.[2]) Illud autem recte Seyffertum explicavisse immeritoque a Lievenio reprehensum esse idem Andresenius ostendit.[3]) Nec vero fieri potest, ut regulam Lievenianam ad interpretandos omnes huiusmodi locos adhibeamus. Nam si scriptum videmus ad fam. XVI, 1: *Quid autem causae fuerit, postridie intellexi, quam a vobis discessi,* nullum potest aliud subaudiri praesens quam *scio*. At Ciceronem id ipsum dicere velle, illam suam cogitationem eo, quo dixit, tempore factam esse, non praesenti fieri, nemo non videt. Quid? quod nonnullis locis etiam cum imperfecto praesens vel perfectum coniunctum est? Conf. p. Balb. 2: *Quae fuerit hesterno die Cn. Pompeii gravitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur.* p. Sest. 122: *Quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in causa hominis non popularis, equidem audiebam, existimare facilius possunt, qui affuerunt.*

---

conjunctivische Nebensätze, besonders Finalsätze und indirecte Fragesätze, die von einem Perf. abhängen, die Consec. des Praet. haben, und dass — von den zuletzt betrachteten ganz verschiedenen Fällen abgesehen, — wo die Consec. des Praes. nach dem Perf. eintritt, der regierende Satz immer einen Ueberschuss von Prädikatsinhalt über das im Verbum an sich Ausgedrückte enthält. Dieser Ueberschuss besteht immer in einem Begriffe, welcher sich durch das Praes. eines anderen Verbs wiedergeben lässt; stünde dies allein, so würde weniger ausgedrückt sein, als durch jenes Perf. ausgedrückt ist. Da nun das Perf. in der Regel wie ein Praet. die Consec. beeinflusst, so sehen wir, dass hier die Consec. sich an das gedachte Praes. anschliesst. Und das ist ja das Wesen einer prägnanten Construction, dass sie sich anschliesst nicht unmittelbar an den gesetzten Ausdruck, sondern an den, der implicite darin enthalten ist, eine Construction, die über das ganze Gebiet der poetischen und prosaischen Syntax und Stilistik sich erstreckt.

1) vid. §. 7.

2) cf. p. 14. not. 1.

3) l. c. p. 366.

Verr. II, 1, 75: *qui in illa re, quid facere potuerit, non habebat.* His locis sententiam Lievenii optime refelli puto. Nam quod ille etiam imperfecta, etsi raro, praegnanter usurpari dicit,[1]) nemo facile consentiet. Etenim Cicero, si praesentis aliquam vim ac significationem — hoc enim sibi vult vox illa praegnantis usus — praeterito adiunctam esse voluisset, non, opinor, imperfecto, sed perfecto, quippe cuius esset rem praeteritam ad praesens tempus referre, usus esset. Atque ipse Lievenius, ut praegnantem illam vim in perfecto inesse posse demonstraret, genuinam eius naturam ad praesens spectare probavit.[2]) Apparet hoc in imperfecta non cadere.

§. 5.

Iam vero, ut, quid ipse de his locis sentiam, breviter exponam, ad Buechnerum delego, qui de loco p. Balb. 2 sic disputat: *Alia est loci sententia, ubi 'esset', alia, ubi 'fuerit' scripseris. Illud significat iudices ipsos perpetua sua admiratione patefecisse, quid de Pompeii eloquentia iudicarent quantive eam facerent. At id quidem orator dicturus non est; immo iudicum illa admiratione utitur tamquam testimonio, quo doceat audientes, quae fuerit Pompeii in dicendo gravitas; suum igitur ipsius, non iudicum proponit iudicium.*[3]) — Potest igitur is, qui loquitur, id, quod e subiecti primarii mente dici deberet, pro sua cogitatione exprimere, ita ut id tempus ponat, quo, si recta esset interrogatio, uteretur. Similis haec est ratio atque ea, de qua altero in capite disputabimus, qua in oratione obliqua eas cogitationes, quae subiecto enuntiati primarii attribui deberent, is, qui loquitur, tamquam suas proponit ideoque praesenti vel perfecto utitur, cum praeteritum antecesserit.[4])

Quae cum ita sint, non illud opus est, id quod Reuschius vult,[5]) ut altero illo loco, qui est p. Sest. 122, verba *equidem audiebam* interposuisse Ciceronem, cum primo noluisset, opinemur. Tertio loco Buechnerus duas constructiones, *habeo quid* et *habeo quod,* ita confusas esse censet, ut oratorem hoc voluisse dicere

---

1) l. c. p. 27.

2) l. c. p. 19 sq.

3) Annotationum criticarum ad M. Tull. Ciceronis orationem pro L. Corn. Balbo hab. partic. alt. Progr. Schwerin. 1866. p. 18. — Zumptius (gramm. §. 512) Ciceronem in animo habuisse putat *quae . . fuerit, meministis.* Idem fere sentit Madvigius (gr. §. 382. not. 5), cum non accurate illum scripsisse dicit. Ego vero vereor, ne vitium hic Cicerone, praesertim in orationis exordio, indignum ad suam opinionem defendendam adhibeat.

4) Draegerus, cum l. c. p. 236. sic disputat: *Wo das Hauptverb sich nicht der Praesensbedeutung nähert, ist doch zu erkennen, dass der Schriftsteller den Inhalt des Nebensatzes vom Standpunkt der Gegenwart aus beurtheilt oder betrachtet,* recte fere sentit, ut mirer, quod hoc non modo post perfecta, sed etiam post imperfecta fieri posse non viderit.

5) l. c. p. 10. not.

putet: *Quid eum facere potuisse dicam? quid, quaeso, habebat, quod faceret?* Ego vero hoc necessarium esse nego; sed Ciceronem, hoc cum dicturus esset: *non habebat, quid facere posset (er wusste nicht, was er thun könnte),* simul se ipsum nescire, quid ille facere potuerit, indicare voluisse arbitror.[1])

Habes rationem explicandi, qui fiat, ut praesentia et perfecta in eis interrogationibus reperiantur, quae a praeterito sive perfecto sive imperfecto sive, quod ego addiderim, etsi nulla adhuc exempla inveni indicativi, plusquamperfecto pendeant.

§. 6.

Nihil igitur est, quod addamus ad interpretandos hos locos: Tusc. V, 106: *quam sit ea contemnenda, paullo ante dictum est.*[2]) de off. I, 61: *Ab aliis rebus quemadmodum ducatur honestum, satis fere diximus.* de div. I, 109: *quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet, crebra animadversione perspectum est.* p. Sest. 117: *Quo quidem tempore quid populus Romanus*

---

1) Neque Haasii (ad Reisig. p. 594. not. 500) sententiam, qui Ciceronem primo dicturum fuisse putat: *qui quid facere potuerit, non habuerit,* neque Petersii (l. c. p. 9), qui *potuerit* ad *proferam,* quod antecedit, non ad sequens *habebat,* unde pendet, relatum esse dicit, probari ullo modo posse existimo. Nam coniunctivus perfecti logici eandem constructionem habet, quam indicativus, ut vel sic scribendum fuerit: *qui quid facere posset, non habuerit;* cf. §. 8. Porro etsi ipsi attractionem quandam in oratione Latina valere concedimus, at tam audacem, quam Petersius statuit, fieri posse negamus. Draegerus autem, cum primo (l. c. p. 214), ut condicionale *potuisset* evitaret, Ciceronem perfecto usum esse iudicasset, postea (p. 294) Petersio astipulatur. — Ceterum alium locum tribus illis Tullianis similem notatum inveni apud Haasium, qui est Caelii apud Quinctil. VI, 3, 41: *Hic subsecutus quo modo transierit, utrum rate an piscatorio navigio, nemo sciebat.* — Apud Plautum unus reperitur locus, Aulul. 542, ubi codices sic exhibent:

Pol ego, ut te accusem, meditabar. :: Mene tu? quid est?

Quo loco ut et metro satis fieret et consecutioni temporum, Brixius delevit verba *Mene tu?* scripsitque *te ut accusarem,* Rothius (l. c. p. 28. not.) mutavit *meditor.* At quanto facilius ad metrum servandum scribitur: *Men' tu?* Consecutionem autem temporum non violatam esse ex eis, quae diximus, satis apparet. Dicta enim sunt verba *ut te accusem* non ex cogitatione meditantis, sed ex loquentis (quamquam eadem est hoc loco persona), idque idcirco factum est, quod, ut monet Holtzius (Synt. prisc. script. Lat. II. p. 90), actio accusandi nondum praeterita, sed adhuc in futuro est.

2) Confer nostrum *Wie sehr derselbe zu verachten ist (= sit), davon haben wir oben gesprochen* cum *Wie sehr derselbe zu verachten sei (= esset), haben wir oben gesagt.* Hoc enim vocabulo *davon* agi indicatur de cogitatione loquentis praesenti, non de praeterita subiecti primarii. Idem valet de pronomine *illud* Terent. Eun. 419:

Quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio,
Nunquam tibi dixi?

Hoc loco plusqu. poni non potuisse iudico.

sentire se ostenderit, utroque in genere declaratum est.[1] Verr. II, 1, 80: *Cum igitur, quae causa illius tumultus fuerit, testes a nobis producti dixerint, ipse celarit, nonne causam hanc, quam proposuimus, cum illorum testimonia tum istius taciturnitas perpetua confirmat?* ad fam. V, 8, 1: *Quantum meum studium exstiterit dignitatis tuae tuendae, non dubito quin ad te omnes tui scripserint.* ad fam. VIII, 8, 10: *Ea res quam vehementer ad me pertineat, in iis, quas tibi isti reddent, literis descripsi.* Phil. X, 9: *Sed quo consilio redierim, initio audistis, post experti estis.* p. dom. 67: *Quas iste tum caedes, quas lapidationes, quas fugas fecerit, quam facile ferro cotidianisque insidiis, cum iam a firmissimo robore copiarum suarum relictus esset, Cn. Pompeium foro curiaque privarit domumque compulerit, vidistis.* in Vat. 10: *De te autem homines quid sentiant, in honore experti sumus, in salute exspectamus.* de fin. V, 9: *Quantus ornatus in Peripateticorum disciplina sit, satis est a me, ut brevissime potuit, paullo ante dictum.* ad fam. VI, 11, 1: *Quantae curae tibi meus honos fuerit et quam idem exstiteris consul in me ornando et amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis et cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium literis.* p. Tull. 13: *Quoniam, quod iudicium et quo consilio constitutum sit, cognostis, nunc rem ipsam, ut gesta sit, dum breviter vobis demonstrabo, attendite.* Lael. 11: *Quam autem civitati carus fuerit, maerore funeris indicatum est.* de off. I, 99: *His expositis quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto.* ad fam. VI, 1, 5: *Quod genus hoc militum sit, iudicavit vir fortissimus M. Bibulus in Asia, qui cum vos ei permisissetis, dilectum habere noluerit.* in Caecil. 10: *Nunc quoniam, quibus rebus adductus ad causam accesserim, demonstravi, dicendum necessario est de contentione nostra.* de imp. 42: *Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe cognostis.* Verr. II, 4, 115: *Nemo fere vestrum est, quin, quemadmodum captae sint a M. Marcello Syracusae, saepe audierit, nonnumquam etiam in annalibus legerit.*

Utramque constructionem invenimus Verr. II, 2, 133: *Iam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis; verumtamen priore actione, quam varie, quam improbe praedatus esset, multorum testimoniis cognovistis.* Hunc locum non recte interpretatus est Lievenius, cum plusquamperfecto Ciceronem ideo usum esse dixit, quod, num iudices meminerint, ignoraverit. Sed est altera cogitatio Ciceronis loquentis, altera iudicum cognoscentium; nisi forte perfectum *fecerit* idcirco positum esse exi-

1) Non igitur probanda est sententia Car. Halmii, qui grammatica licet ratione ductus hoc loco scribi voluit *ostenderet;* conf. Buechner. p. 18.

stimas, quod *adhuc cognoscere non potuistis* idem fere est quod *nescitis.*[1])

Saepius dubitare licet, utra explicatio praeferenda sit, quodne cogitatio ad eventum relata sit vel praesenti perfectum commutari possit, an quod suam is, qui loquitur, cogitationem proposuerit. Conf. ad fam. X, 22, 2: *Quod ne nostro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci literis cognovisse.* ad fam. XI, 7, 1: *Quae mea fuerit sententia, cognosse te ex M. Seio arbitror.* ad fam. I, 56, 1: *Hic quae agantur. quaeque acta sint, ca te et literis multorum et nuntiis cognosse arbitror.*[2]) p. Cluent. 17: *Initium quod huic cum matre fuerit simultatis, audistis.* Brut. 25: *Laudare igitur eloquentiam et, quanta vis sit eius, exponere, quantamque eis, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco neque necessarium.* de fin. V, 24: *Cum autem processit paullum et quatenus quidque se attingat ad seque pertineat, perspicere coepit, tum sensim incipit cet.*

§. 7.

Verumtamen est ubi fieri non possit, ut is, qui loquitur, cogitationem interrogationis obliquae suam faciat et non subiecti primarii, sed suum iudicium proponat. Nam si enuntiatum primarium cum verbo regenti antecessit atque ita is, qui loquitur, de interrogatione vel cogitatione aliqua alterius se agere indicavit, facere non posse mihi videtur, ut eam cogitationem non tam eius esse, de quo in enuntiato primario agitur, sed suam profiteatur. Et vero in exemplis, quae quidem supra attulimus, interrogationes obliquae verbis regentibus antecedunt.[3])

Restat ut de eis locis, qui huic legi, quam modo proposuimus, repugnare videntur, pauca dicamus. Primum igitur, quod scriptum videmus ad Att. V, 10, 4: *nec hercule unquam tam diu ignarus rerum mearum fui, quid de Caesaris, quid de Milonis nominibus actum sit,* facile ita emendatur ad nostramque legem revocatur, ut post *fui* interponatur *ut nesciam.* Nec vero non probabilis haec est coniectura. Nam a voce *ignarus* pendet genetivus *rerum mearum,* ut alterum obiectum vix ferendum sit. Lo-

---

1) Liev. l. c. p. 16. conf. Andres. l. c. p. 367.

2) Observa pronomen *ea* et conf. p. 17. not. 2.

3) Draegerus (l. c. p. 219), cum de locis Verr. II, 1, 80 et ad fam. V, 8, 1 sic disputat: *In den beiden letzteren Stellen mag die Voranstellung des Nebensatzes zweiter Classe den Conj. perf. veranlasst haben,* ipse quoque id, quod nos verum esse videmur demonstravisse, suspicatur. Idem fere sentit Haasius (ad. Reis. p. 594. not. 500), cum de Quinct. VI, 3, 41 et Cic. Verr. II, 1, 75 haec dicit: *Es ist bemerkenswerth, dass in den beiden Stellen das regierende Verbum erst nachfolgt, und eben in diesem scheint mir die Abweichung zu liegen, nicht in dem vorhergehenden Conj.*

cum autem istum totum non integrum traditum esse ex libris cognoscitur. Klotzius quidem, postquam verba, quae sequuntur, in codicibus corrupta recensuit, etiam altiorem latere corruptionem posse fatetur. Sequitur pro Quinct. 57: *Discedens in memoriam rediit Quinctius, quo die Roma in Galliam profectus sit. Ad ephemeridem revertitur.* Hoc loco maxime mirandum est, qui fieri potuerit, ut vel historico perfecto perfectum adiungeretur. Quare utique scribendum existimo *redit,* quam coniecturam praesenti historico, quod sequitur, *revertitur* probari apparet.[1]) Iam vero de or. II, 174 apud Pideritum sic scriptum videmus: *sic has ego argumentorum notas quaerenti demonstravi, ubi sint.* Nec minus legi nostrae repugnat, quod Ellendtius scripsit: *sic has ego argumentorum volui notas quaerenti demonstrare, ubi sint.* Kayserus autem, cum hoc sentiret, verba *ubi sint* uncis includens sic scribit: *sic has ego argumentorum † novi notas quaerenti demonstravi* [*ubi sint*]. Vides verba valde corrupta esse. Quodsi codices adimus, et in Abrincensi et in Erlangensi I invenimus: *sic has ego argumentorum novi notas quaerenti demonstrant, ubi sint.* Apparet primum *novi* corruptum esse, itaque ceteri codices id mutaverunt, cum partim *erui* partim *volui* exhiberent, partim omitterent; sed illud, cum speciem corruptionis prae se ferat, vero proxime accedere manifestum est. Tum *demonstrant* ferri non posse in illa coniunctione, sed ob id ipsum verius esse, quam quod alii tam codices quam editores exhibent *demonstravi* vel *demonstrare* sive *demonstrari (volui)* patet. Atque hoc quidem optime emendatur ea lectione, quam in Erlangensi II reperimus: *quae quaerenti demonstrant;* nam *quae* ante *quaerenti* facillime omitti potuit. Illud autem *novi* aptissime in *notavi* mutari iam alii viderunt. Scribendum igitur ita existimo: *sic has ego argumentorum notavi notas, quae* (sc. notae) *quaerenti demonstrant, ubi sint* (sc. argumenta).

Ceteris autem locis, qui adversari legi nostrae videri possunt, praegnantem aliquam vel, si mavis, non accuratam constructionem esse puto. Nam, ut Lievenius ostendit[2]), perfectum, cum et ad praeteritum et ad praesens tempus spectet, semper aliquam notionem continet, quae alius verbi praesenti exprimi possit. Haec autem praesentis natura, quoniam antiquior est et magis propria

---

1) Conf. Reusch. l. c. p. 10. not. Qua ratione illud *discedens,* ut vult Schweikertus (Zeitschrift f. d. Gymn.-Wesen. 1876. p. 4. not.), huic coniecturae repugnet, non intellego.

2) l. c. p. 15 sqq. Conf. supra pag. 14. not. 3. Manifestum est hanc rationem simillimam esse ei, de qua supra diximus, qua post perfecta, quae praesenti commutari possunt, praesentia vel perfecta ponuntur. Hoc loco ea congessimus enuntiata, in quibus aut, si praesens substituitur, non idem manet subiectum, aut per adiectam aliquam particulam, ut *adhuc,* simpliciter praesens substituere non licet.

perfecti quam natura praeteriti, facile perspicitur, qui fiat, id quod Rothius l. c. p. 41 sqq. demonstravit, ut Plautus, si id, quod cogitatione interrogationis obliquae fingitur, in praesens vel futurum tempus cadit, praesenti, si, quod interrogatur, praesenti tempore absolutum est, perfecto utatur. Adiunctae sunt enim cogitationes illis temporibus expressae non actioni praeteritae, sed eventui praesenti, quippe cuius maxime praecipua sit in perfecto notio.[1]) Posteris autem temporibus, cum praesentis naturam in perfecto inesse eamque potissimum inesse sentiri a Latinis paullatim desineretur, in eiusmodi enuntiatis imperfecta vel plusquamperfecta poni coepta sunt. De illius igitur usus reliquiis, quaenam apud Ciceronem exstent, hoc loco agimus.

Quodsi invenitur Verr. II, 3, 106: *Docuerunt vos, quid lucelli fecerit homo non malus,* Ciceronem, cum scriberet *fecerit,* in animo habuisse puto *eorum institutione docti scitis.* p. Quinct. 86: *Ostendi quam multa ante fieri convenerit;* explicandum est ita fere: *oratione mea cognostis.* ad fam X, 31, 6: *Illud vehementer admiror, non scripsisse te mihi, manendo in provincia an ducendo exercitum in Italiam reipublicae magis satisfacere possim.* Hoc loco Pollio — nam illius, non Ciceronis est epistola — minus accurate scripsit pro his verbis: *ex literis tuis me non cognoscere.* ad fam. VII, 8, 1: *Sed ex tuis literis cognovi praeproperam quandam festinationem tuam et simul sum admiratus, cur tribunatus commoda dempto praesertim labore militiae contempseris.* Admiratio in praesens tempus ducta est. Verr. II, 5, 175: *Omnium nunc oculi coniecti sunt hoc ipso tempore in unumquemque nostrum, qua fide ego accusem, qua religione hi iudicent, qua tu ratione defendas.* Minus accuratam hoc loco orationem esse ex ea ipsa re apparet, quod cum verbis *oculi coniecti sunt* interrogatio obliqua coniuncta est; accuratius igitur fuisset: *omnes oculis coniectis speculantur.* Phil. III, 36: *Omnes patefecerunt, in utramque partem quid sentiant, quid velint.* Facile intellegitur hoc loco non agi de cogitatione patefacientium, sed eorum, qui, quoniam illi patefecerant, sciebant, cogitationem Ciceroni indicandam fuisse; quod quidem eis probatur, quae antecedunt: *nunc iam apertum est.*[2]) p. Quinct. 88 scriptum videmus: *Deinde illud quoque*

---

1) Confer Plaut. Mil. glor. 1097:

Dixi equidem tibi,
Quo pacto id fieri possit.

Bacch. 575:

Nunc me ire iussit ad eum et percontarier,
Utrum aurum reddat.

Terentius et praes. vel perf. et imp. vel plusq. utitur in huiusmodi enuntiatis. Plura vide apud Rothium l. c.

2) Eadem ratione explicandum est Liv. VII, 33: *pugna indicio fuit, quos gesserint animos.* Est enim cogitatio non eorum, qui illi pugnae

requisivi (sc. ut nunc sciam), qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit neque nunc contra dicat omnesque pro P. Quinctio pugnent, cum antecesserint verba *quaesivi, quae causa fuisset, cur bona venissent, cum ex edicto possiderentur.* Nonnulli sunt loci, quibus voce *adhuc* significetur cogitationem ad eventum actionis praesentem ıeferendam esse. Verr. II, 1, 70: *Neque adhuc causam ullam excogitare potuit, quamobrem commiserit aut quid evenerit, ut in tantum periculum veniret.* Nam *adhuc causam nullam excogitare potuit* idem fere est quod *nondum ullam causam scit.* Eodem modo iudicandum est de loco, qui est de or. III, 54: *neque adhuc, quam personam teneant aut quid profiteantur, intellegere potuerunt;* etsi hoc loco potest, ut Cicero suam proposuerit sententiam.

Ex his, quae dixi, satis apparet cum imperfecto vel plusquamperfecto praesens vel perfectum ita tantum coniungi posse, ut interrogatio obliqua verbo regenti antecedat. Non igitur doctrinam probo Schweikerti, qui ita posse dici putat: *Diligenter (saepe) quaerebatur, quid sit verum.*[1]) Neque enim ullum in hanc rem afferri potest exemplum. Nam quod apud nonnullos, ut Holtzium[2]) et Rothium[3]), allatum invenimus, Enn. fragm. ann. v. 90, huc non pertinet. Scriptum est enim illo loco:

Omnibus cura viris, uter esset induperator:
Exspectant, veluti, consul cum mittere signum
Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis e faucibus currus,
Sic exspectabat populus atque ora tenebat,
Rebus utri magni victoria sit data regni.

Facillime hic locus ita expeditur, ut interrogationem obliquam *Rebus utri magni victoria sit data regni* ab *exspectant,* non ab *Sic exspectabat populus atque ora tenebat* pendere iudicemus, haec autem verba παρενθετικῶς interposita esse censeamus.[4])

§. 8.

Eaedem leges, quae in indicativis imperfecti, perfecti, plusquamperfecti valent, etiam in coniunctivis illorum temporum item-

---

interfuerunt, sed eorum qui tunc erant, cum Livius scripsit. Sic igitur accipiendum est: *indicio fuit, ut intellegamus.*

1) l. c. p. 3.

2) l. c. II. p. 90.

3) l. c. p. 28.

4) *Utri* genetivum esse pro *utrius* nunc omnes fere consentiunt. Linkerus (annal. phil. 1864. p. 714) coniecit *ore timebat;* at confer Verg. Aen. II, 1:

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

L. c. p. 717 sq. mavult *Sic exspectabant oculis atque ore timebant.* Sed Fleckeisenus l. c. not. docuit syllabam *us* in *populus* in arsi produci posse.

que in infinitivo perfecti observantur,[1] ut ex nonnullis, quae iam supra attulimus, exemplis elucet. De qua re cum nulla sit dubitatio,[2] satis sit hos attulisse locos: p. Mil. 44: *Cum ille non dubitarit aperire, quid cogitaret, vos potestis dubitare, quid fecerit?* quo loco quam perverse Gossravius[3] ad suam de consecutione coniunctivi imperfecti sententiam falsissimam confirmandam deteriores codices secutus scripserit: *cum ille non dubitaret aperire, quid cogitarit,* Lievenius demonstrat.[4]) Catil. I, 32: *Sit denique inscriptum* (= legatur) *in fronte uniuscuiusque, quid de republica sentiat.*

Exceptus est coniunctivus perfecti potentialis, optativus, prohibitivus, imperativus, concessivus, dubitativus, quocum praesens vel perfectum coniungi solet. Conf. de off. I, 75: *Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit: at ille* (Solon) *vere ab se adiutum Themistoclem.* de off. II, 35: *Sed ne quis sit admiratus, cur, cum inter omnes philosophos constet, a meque ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita seiungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse.* Antecessit interrogatio pendens Brut. 52: *Tum Brutus: 'ista vero' inquit 'quam necessaria fuerint, non facile dixerim',* ut argumento esse non possit.

Praeterea cum eis coniunctivis perfecti, qui vel pro futuro exacto positi sunt vel in enuntiatis condicionalibus idem fere significant, quod futurum exactum, praesentia vel perfecta coniunguntur. Conf. Ac. II, 110: *Non enim, quem ad modum, si quaesitum ex eo sit, stellarum numerus par an impar sit, item, si de officio multisque aliis de rebus, in quibus versatus exercitatusque sit, nescire se dicat.* Idem valet de participiis perfecti pro futuro exacto positis, etsi, quod a nonnullis affertur, de fin. II, 44: *Itaque eo, quale sit, breviter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia tua,* nihil habet argumenti, propterea quod interrogatio obliqua antecedit.

Infinitivos autem praesentis et futuri eorundemque temporum participia, gerundia praeterea, supina, adiectiva, substantiva ita interrogationes obliquae sequuntur, ut, cum verbo finito, cui quodque tempori tribuendum sit, intellegatur, ea tempora usurpari soleant, quae verbo finito conveniant. De qua re ipsa quoque non dubitatur,[5] ut satis habeam hoc exemplum attulisse: p. Sest. 60: *At etiam eo negotio M. Catonis splendorem maculare voluerunt ignari, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret.*

---

1) De imperfecti et plusquamperfecti coniunctivo condicionali separatim agemus §. 11.
2) cf. Reusch. l. c. p. 10 sq.
3) gramm. §. 413.
4) l. c. p. 26.
5) cf. Ell. et Seyff. gr. §. 245, 2 et 3. Schultz. gr. §. 329. n. 2.

Cum participiis perfecti, etsi verbum finitum sit praesens vel futurum, imperfectum vel plusquamperfectum coniungi apparet ex hoc loco: de leg. III, 33: *Dicam, Tite, et versabor in re difficili ac multum et saepe quaesita, suffragia magistratu mandando aut reo iudicando, lege aut rogatione sciscenda, clam an palam ferre melius esset,* ubi secundum morem aliquem Latinum enuntiatum secundarium ab interposita enuntiati parte pendet; nam nisi *quaesita* interpositum esset, scribendum fuisset *melius sit.*[1])

§. 9.

Cum eo perfecto (indicativi), quod habet enuntiatum secundarium primario, in quo praesens positum est, subiunctum, ut actio antecedens significetur, cum nos patrio sermone praesenti utamur, Lievenius et praesens vel perfectum et imperfectum vel plusquamperfectum coniungi posse existimat.[2]) Ego vero, nisi alia subsit causa, cur praesens vel perfectum ponatur, quales supra[3]) explicavimus, imperfecto vel plusquamperfecto utendum esse puto. Nam ex eis locis, quos Lievenius attulit, duo illi, qui huc pertinent, alia ratione facile expediuntur.[4]) Similiterque de or. III, 31: *Haeret in causa semper et, quid iudici probandum sit, cum acutissime vidit, omissis ceteris argumentis in eo mentem orationemque defigit,* perfectum ideo positum est, quod is, qui loquitur, illam cogitationem ut suam proponit. Nam si perfectum aliquod positum est, non obstant tantummodo, ut ait Lievenius, dicendi cogitandique leges, quominus imperfectum vel plusquamperfectum sequatur, sed mea quidem sententia hoc etiam postulant. Atque, ut exemplum in medium proferam, conferas velim de off. I, 117: *Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset, iudicare.*

§. 10.

Cum praesenti historico Cicero vel praesens et perfectum vel imperfectum et plusquamperfectum ita coniungit, ut verbum regens antecedat. Confer Verr. II, 5, 102: *Advocat amicos statim; quaerit*

1) cf. Dietrich. quaest. gramm. et crit. de locis aliquot Cic. Lips. 1835. p. 34.

2) l. c. p. 17.

3) §. 3. et §. 5.

4) De loco de fin. V, 41 cf. pag. 13. not., de l. de fin. V, 24 cf. pag. 19. De duobus illis reliquis locis, qui ad orationem obliquam pertinent, conf. infra cap. II, §. 6. Superest finale enuntiatum. At in huiusmodi enuntiatis post perf. apud priscos scriptores Latinos saepissime, apud Ciceronem aliquoties praesens invenitur, quo consilium praesenti etiam tempore valere indicetur. Conf. Brixium ad Plaut. Trin. 14. et Rothium l. c. p. 15 sqq. Ac ne desideres eiusdem illius verbi mittendi exemplum, v. Amphitr. 195:

Me a portu praemisit, haec ut nuntiem uxori suae.

ex iis singillatim, quot quisque nautas ***habuerit.*** Verr. II, 1, 132: *Iste ad se Habonium vocat;* ***quaerit,*** *ecquid* ***sit,*** *quod a pupillo traditum non sit, quod exigi debeat.* Tusc. III, 48: *Animadvertit Gracchus in contione Pisonem stantem;* ***quaerit*** *audiente populo Romano, qui sibi* ***constet,*** *cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit.* — Verr. II, 1, 66: *eos certiores* ***facit,*** *quid opus* ***esset.*** Verr. II, 4, 51: ***pronuntiat,*** *quid sibi imperatum* ***esset,*** *iubet omnes afferre, quod haberent.*[1])

Quoniam in aliis sententiarum generibus post praesentia praegnantia i. e. ea, quae aliqua ex parte perfecti vim continent, praeterita inveniuntur, nihil est causae, cur p. Tull. 38: ***Dicis oportere quaeri,*** *homines M. Tullii iniuria occisi* ***essent*** *necne* Madvigio auctore[2]) scribamus ***occisi sint.*** Nam verbo *dicis* subaudiendum est *dixistique.*

Infinitivum praesentis historicum itemque a verbo *meminisse* pendentem coniunctivus imperfecti vel plusquamperfecti sequitur. Confer Verr. II, 4, 63: *Posteaquam inde discessum est,* ***cogitare*** *nihil iste aliud, quod ipsa res declaravit, nisi quemadmodum regem ex provincia spoliatum expilatumque* ***dimitteret.*** in Pis. 69: *Graecus primo* ***distinguere*** *et* ***dividere*** *illa, quemadmodum* ***dicerentur.*** — Verr. II, 4, 147: *Me* ***memini dicere*** *facile esse perspicuum, quantum inter hunc et illum Numidicum, verum ac germanum Metellum* ***interesset.***

§. 11.

Sequitur, ut de coniunctivis imperfecti et plusquamperfecti hypotheticis pauca dicam. Apparet eos grammaticos, qui cum imperfecto vel plusquamperfecto necessario coniungi imperfectum vel plusquamperfectum docent, sibi non constare, cum in enuntiatis condicionalibus attractionem quandam temporum fieri dicant. Nos quidem, qui attractionem et consecutionem, quam vocant, temporum eisdem causis oriri, tempora autem praeterita etiam in obliqua interrogatione suam vim retinere diximus, hanc rem ita expediemus, ut etiam in condicionali imperfecto (vel plusquamperfecto) vim praeteritam inesse moneamus. Quod quidem verum esse Lievenius optime explicavit, cum ex particula *nunc (nunc vero, nunc autem,* graece *νῦν δέ*), qua ab enuntiato irreali, ut aiunt, ad id, quod verum est, transitur, intellegi docet, id quod nunc verum non-est, praeterito

1) Idem est usus priscorum scriptorum. Conf. Brix. ad Plaut. Trin. 14. et Rothium l. c. p. 26. — Caesar autem quae tempora in interrogationibus obliquis a praesenti historico pendentibus adhibuerit, diligenter quaesiverunt Hugius *(Die cons. tp. des praes. hist. zunächst bei Caesar* in annal. philol. 1860. p. 886) et Prockschius (*Die cons. tp. bei Caesar.* Progr. Eisenberg. 1874. p. 23 sq.). Atque hic quidem praesens vel perfectum usurpari, sive antecedat verbum regens sive sequatur, paucis locis imperfectum vel plusquamperfectum poni ea de causa putat, quod praeteritum aliquod ad eum locum vim habuerit.

2) cf. C. F. G. Mueller. in Philol. XIX. p. 626.

tempore fieri potuisse Latinis videri.[1]) Duplex autem vis interrogationis obliquae esse potest. Nam aut ipsa quoque cogitatio ad condicionem pertinet, aut vim condicionalem non attingit, sed, ut Madvigii[2]) verbis utar, tamquam ad rem veram et praesentem pertinens diiungitur. Ac de illa dubitari non potest;[3]) de hac videamus exempla. ad fam. IV, 7, 5: *Hi autem qui essent, auderem scribere, nisi te intellegere confiderem.* de nat. II, 49: *quae, si, bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certe non diceret.*[4])

Duobus locis huic orationis Latinae consuetudini non obtemperavit Cicero. Atque quod ad fam. XIII, 6, 4 scripsit: *quae quantum in provincia valeant, vellem expertus esses,* neque quomodo praesens *valeant,* ut vult Petersius,[5]) potius ad futura, quae antecesserunt, quam ad eas, quae sequuntur, formas coniunctivi revocari potuerit, neque quomodo rhetorico orationis vestitu, id quod Zumptius[6]) censet, excusetur, intellego. Immo vero interrogationem obliquam, quoniam antecedit, Cicero ut suam scribentis cogitationem proposuisse putandus est.[7]) Itaque non opus est ea interpretatione, quam Draegerus[8]) praebet, ut vim modalem, non temporalem valuisse censeamus, quam quidem interpretationem ad alterum illum locum adhibuerim, a Kramarczikio[9]) allatum, a ceteris ignoratum vel mutatum, de leg. agr. II, 63: *Velim fieri posset, ut a me sine contumelia nominarentur ii, qui se decemviros sperant futuros: iam videretis, quibus hominibus omnium rerum et vendendarum et emendarum potestatem permiseritis.*[10])

Vides, quam falsa sit Gossravii doctrina, qui praesentia vel perfecta in huiusmodi enuntiatis necessaria esse dixerit, multo saepius et ex more Latino imperfecta vel plusquamperfecta adhiberi prorsus ignoraverit.[11])

---

1) l. c. pag. 27 sq. Hoc consentiendum esse Andresenius dicit l. c. p. 371.

2) ad Cic. de fin. I, 57. p. 58.

3) cf. Peters. l. c. p. 5.

4) Plura invenies exempla apud Petersium l. c. p. 4, Draegerum l. c. I. p. 290, Madvigium ad Cic. de fin. I, 57. p. 58.

5) l. c. p. 4.

6) gramm. §. 512.

7) Idem fere dici potest de Sen. ep. 75, 1: *si fieri posset, quid sentiam, ostendere quam loqui mallem.* Et de Ter. Heaut. prol. 7:

nunc qui scripserit
Et quoia Graeca sit, ni partem maxumam
Existumarem scire vostrum, id dicerem.

Hoc quidem loco pronomine *id* hanc explicationem commendari, ne dicam postulari, ex eis, quae pag. 30 annotavimus, apparet.

8) l. c. I. p. 297.

9) l. c. p. 21.

10) Conf. Sall. Catil. 7: *Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.*

11) gramm. §. 413. Ceterum etsi profitetur se de hypotheticis con-

§. 12.

Quod supra de praeteritis probavimus, in interrogatione obliqua imperfectum usurpari, ut actionem enuntiati secundarii subiunctam esse actioni primarii praeteritae clarius etiam tempore significaretur, non similiter illud de futuris valere si quis forte miretur, hoc secum reputet, coniunctivum futuri orationi Latinae abesse ob eamque causam abesse, quod ipsius praesentis coniunctivo actio cogitata exprimitur ita, ut futuram esse eam ex enuntiati primarii verbo regenti cognoscatur. Constat enim etiam in oratione obliqua ex futuro indicativi fieri praesens coniunctivi, quia ex infinitivo futuri in futurum id tempus cadere elucet. Si autem futurum aliquid a subiecto enuntiati primarii ita nunc cogitatur, ut coniunctivum praesentis ad futurum tempus spectare e sententiarum conexu non intellegatur, coniugatio periphrastica, quae vocatur, adhibetur, ut si dicam: *quaero, num scripturus sis; quaeram, num scripturus sis; quaesivi, num scripturus esses.*

§. 13.

Est ubi tempus enuntiati secundarii non regentis, sed interpositae alicuius enuntiationis vel enuntiationis partis tempori conveniat. Ac de interrogatione obliqua unum inveni locum, quem iam supra[1]) attuli, de leg. III, 33, ubi enuntiatum secundarium non a verbo primario *versabor* pendet, sed a participio *quaesita* (= quae a multis quaesita est).

Cap. II.

De oratione obliqua.

§. 1.

Si scriptum videmus de or. I, 63: *Socrates dicere solebat omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes,* apparet cogitationem, quae verbis significatur: *omnes in eo quod scirent satis esse eloquentes,* Socratis esse, quae si recta oratione proponeretur, sic diceretur: *omnes in eo, quod sciunt, satis sunt eloquentes.*

Quodsi de huius orationis obliquae consecutione temporum quaeritur, regente praesenti, ut in interrogatione obliqua, sic hic quoque eo tempore Ciceronem uti contendo, quod poneretur, si recta esset oratio.

---

iunctivis agere, etiam alios argumentationi admiscet. In plurimis, quae affert, exemplis, nullam omnino consecutionem valere putandum est.

1) p. 24.

Primum igitur videamus de eis coniunctivis, qui praesentis infinitivo intercedente cum enuntiato primario cohaerent. Ac non solum praesentia et perfecta, sed, id quod a grammaticorum doctrina abhorret, imperfecta vel plusquamperfecta tum inveniuntur, si eadem tempora recta oratione sive in indicativo sive in coniunctivo ponerentur. Conf. Cat. Mai. 4: *Obrepere aiunt citius quam putassent;* recta oratione: *obrepit citius quam putaramus.* ad Att. VI, 1, 6: *Accipiam equidem dolorem mihi illum irasci, sed multo maiorem non esse eum talem, qualem putassem;* recta oratione: *non est talis, qualem putaram.*[1]) — p. Rosc. Am. 92: *Video causas esse permultas, quae istum impellerent.* Nam non pendente oratione dici potest: *sunt causae permultae, quae istum impellerent.*[2]) de or. III, 164: *Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum.* Recta oratione diceretur: *Id verbum, quod translatum est, non est angustius, quam fuisset* (coni. hypoth.) *illud proprium ac suum.* de fin. V, 70: *Quem enim deditum voluptatibus, quem cupiditatum incendiis inflammatum in iis potiendis, quae acerrime concupivisset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Hannibale victo aut posteriorem Carthagine eversa?* Hoc loco recte C. F. G. Muellerus[3]) *perfundi* dictum esse putat pro *futurum esse ut perfundatur,* ut coniunctivus *concupivisset* sit condicionalis. Nam quod Madvigius dicit, *perfundi* scriptum pro *perfusum esse (unquam),* non crediderim. Sed de leg. II, 44: *Tantum ponam brevi duplicem poenam esse divinam, quod constaret ex vexandis vivorum animis et ea fama mortuorum cet.,* quoniam nulla omnino ratio est imperfecti *constaret,* Goerenzius et Vahlenius scripserunt *constet ex,* Orellius rectius e deterioribus codicibus nonnullis recepit *constat et ex;* nam *t* in *r* facile mutari potuit. Madvigii autem coniectura Halmio probata, qui scribi voluit *eamque constare* a verborum sonis nimium discedit.

---

1) Conf. Lieven. l. c. p. 12, qui de hoc plusquamperfecti usu plures locos attulit.

2) Non multum interest inter *fuerunt quae impellerent* et *sunt quae impellerent.* Illo simpliciter refertur, hoc causas illas actionis praeteritae praesenti tempore patere vel expositas esse significatur. Quamquam apud neminem adhuc hanc temporum coniunctionem aut probatam aut satis excusatam inveni. Confer tamen de or. II, 341: *sed et quia multa sunt orationum genera et graviora et maioris copiae, de quibus nemo fere praeciperet* (valet attractio, conf. cap. I. §. 2), *et quod nos laudationibus non ita multum uti soleremus, totum hunc segregabam locum.* de leg. III. 14: *qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest?* Conf. Phil. II, 80. Verr. II, 3, 59. II, 5, 28. II, 5, 84. p. Sull. 57. p. Rosc. Am. 33. De his locis, cum tempus feret, ut de ceterorum enuntiationum generum consecutione agamus, fusius disseremus.

3) Philol. XIX. p. 627.

§. 2.

Etiam perfecti infinitivo intercedente Cicero eis temporibus utitur, quae recta oratione adhiberet. Confer ad fam. IV, 3, 2: *Quare meminisse debes eos, qui auctoritatem et consilium tuum non sint secuti, sua stultitia occidisse, cum tua prudentia salvi esse potuissent.* Recta oratione: *qui ... non sunt secuti, ... occiderunt, cum ... potuissent.* p. Rosc. Am. 59: *Credo, cum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num ille aut ille defensurus esset; de me ne suspicatum quidem esse, quod antea causam publicam nullam dixerim.* Si recta esset oratio, sic diceretur: *cum vidisset, qui ... sederent, quaesivit, num ... defensurus esset; de me ne suspicatus quidem est, quod .. dixi.* p. Caec. 60: *Vinces profecto non fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quae de terra ipsi tollerent, non esse arma cespites neque glebas, non fuisse armatos eos, qui praetereuntes ramum defringerent arboris, arma esse suis nominibus alia ad tegendum, alia ad nocendum, quae qui non habuerint, eos inermes fuisse vinces.* Recta oratione: *Non fuerunt armati ii, qui saxa iaciebant* — describitur res praeterita, non ad eventum eius spectatur — *qui defringebant ... quae qui non habuerunt* — ad eventum respicitur — *ii inermes fuerunt.* ad. fam. V, 7, 3: *quam ego abs te praetermissam esse àrbitror, quod vererere, ne cuius animum offenderes.* Recta oratione: *praetermissa est, quod verebare* (non *vererere,* quoniam suum Cicero iudicium vult proponere, non Pompeii cogitationem). p. Balb. 56: *Intellego, iudices, in causa aperta minimeque dubia multo et plura et a pluribus esse dicta, quam res postularet* (recta oratione *postulabat*).[1]) de nat. deor. I, 60: *Sed Simonidem arbitror ... quia multa venirent in mentem acuta atque subtilia, dubitantem quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem.* Recta oratione: *quia multa veniebant in mentem.* de nat. deor. III, 54: *cumque tu solem, quia solus esset, appellatum esse dicas;* duplici ratione explicare licet, quarum alteram Andresenius[1]) exhibet, cum ex mente appellantium causam illam dictam esse putat, ut recta oratione diceretur: *sol, quia solus esset, appellatus est;* altera ea est, ut attractionem factam esse et recta oratione sic dici iudicemus: *sol quia solus erat, appellatus est.*[2]) Idem dicendum est de altero illo loco, quem Andresenius affert, de off. II, 86: *quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent faciles.* His adiunge de or. III, 82: *Nunc intellego illa te semper potiora duxisse, quae ad sapientiam spectarent.* Recta oratione: *Illa semper potiora duxisti, quae ad sapientiam spectabant* — per attractionem temporum — vel *spectarent* — ex mente potiora ducentis.

---

1) l. c. p. 361.
2) cf. Cap. I. §. 2. imprimisque Tusc. II, 43.

Sed quid opus est plura? cum Reuschius in egregio illo libello[1]) hanc legem permultis exemplis illustraverit. Eos tantum locos, qui adversari videntur, paullo accuratius pertractare libet.

Particulas *postquam ut ubi* similes cum perfecti indicativo coniungi solere notum est. In oratione igitur obliqua, praesenti regente, perfecti coniunctivo utendum est. Confer ad fam. VIII, 16, 1: *Nam deos hominesque testificor me, postquam Caesarem convenerim, te certiorem fecisse.*[2]) Attamen tribus apud Ciceronem locis plusquamperfecti coniunctivus invenitur: Tusc. IV, 5: *Quam brevi tempore quot et quanti poetae, qui autem oratores exstiterunt! facile ut appareat, nostros omnia consequi potuisse, simul ut velle coepissent.* de div. I, 47: *Qua nocte templum Ephesiae Dianae deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum atque, ubi lucere coepisset, clamitasse Magos pestem ac perniciem Asiae proxuma nocte natam.* de rep. I, 29: *quem* (sc. Platonem) .... *animadvertisse dicunt in arena geometricas formas quasdam esse descriptas, quas ut vidisset, exclamavisse, ut bono essent animo.* — Et Reuschius[3]) quidem hos locos plurimum miri habere dicit neque tamen, qua ratione eos expediat, explicare studet. Draegerus[4]) autem sermonem Latinum in hac re non satis constantem esse concludit. Atque ut ad singulos illos locos transeamus, Andresenius[5]) de primo recta oratione dicendum fuisse putat: *ut velle coeperant.* Non recte, ut mihi videtur. Apparet enim *potuisse* hypotheticum esse, ita ut recta oratione dictum esset: *nostri omnia consequi potuissent.* Hoc fieri posse monet Meissnerus,[6]) cum ad Tusc. III, 52 delegat, ubi transcripsit de off. I, 8: *Equidem Platonem existimo, si forense genus dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere.* (Quamquam hoc loco non *potuisset* recta oratione, sed *potuit* Cicero dixisset). Addo Tusc. IV, 44: *num putamus haec fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse?* cum paullo ante scriptum sit: *Philosophiae denique ipsius principes nunquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent.* Et vero Cicero intellegi sine dubio vult philosophiae studium idcirco a Romanis neglectum esse, quod ei vacare animum non induxerint, futurum autem fuisse, si voluissent vel velle coepissent, ut cum philosophiam tum omnia studia colerent, idque ex ea re

---

1) p. 16—22. Conf. Kram. l. c. p. 22 sqq. Lieven. l. c. p. 49 sqq. Motschmann. doctr. de tp. cons. apud Cic., quam nuper expos. Liev., exemplis ex or. Cic. depr. veram esse dem. Diss. Jenens. 1875. p. 43 sqq.

2) Hoc omnes nunc docti praeter Gossravium (gr. §. 464. not.) consentiunt. Cf. Andres. l. c. p. 365. not.

3) l. c. p. 18.

4) l. c. p. 223.

5) l. c. p. 361.

6) ad h. l. p. 189.

perspicuum esse, quod tot tantique et poetae et oratores exstiterint. Quare *simul ut* idem fere esse puto, quod *si semel.* — Alterum autem locum ita facillime interpretamur, ut particulas illas *postquam ubi* cet. nonnunquam etiam cum imperfecti vel plusquamperfecti coniunctivo coniungi moneamus, id quod Hoffmannus docuit.[1]) Et *postquam* quidem satis saepe apud Ciceronem sic invenitur. Exempla autem, in quibus *ubi* ita coniunctum est, ut nulla alia fieri possit explicatio, haec sunt. Auct. b. Afr. 78, 4: *Quod ubi coeptum est fieri et equis concitatis Iuliani impetum fecissent, Pacidius suos equites exporrigere coepit.* Tac. Ann. II, 40: *Celso et Paulino abnuentibus militem itinere fessum sarcinis gravem obiectare hosti ...., Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant.* — Iam quod ad tertium illum locum attinet, etiam *ut* particulam ita coniunctam esse licet opinari, etsi aliud exemplum nullum afferre possum, nisi quod Luebbertus[2]) exhibet, Ter. Hec. III, 3, 18:

Mater consequitur: iam ut limen exirem, ad genua accidit
Lacrumans misera: miseritumst.

Potest autem etiam eiusmodi praesens *dicunt* haberi, quo ad sententias scriptorum reddendas Latini utuntur, ut cogitatio eorum, qui illud memoriae prodiderunt, expressa sit.

Post particulam *dum,* quae in oratione recta cum indicativo praesentis (sc. historici) coniungitur, in obliqua aut coniunctivum perfecti aut indicativum praesentis inveniri docet Reuschius.[3]) — Idem ille optime iudicat de Phil. XIII, 50: *Censeo, Magnum Pompeium Cn. filium pro patris maiorumque suorum animo studioque in rempublieam suaque pristina virtute fecisse, quod suam eorumque, quos secum haberet, operam senatui populoque Romano pollicitus esset.* Quo loco cum recta oratione sic utique diceretur: *pro virtute sua fecit, quod pollicitus est,* exspectaveris *pollicitus sit.* Sed, si Reuschium sequimur,[4]) in epilogis orationum Philippicarum Cicero sententiam suam ita fere pronuntiat, quasi ipsum de ea re senatus consultum audiatur. Relata igitur sunt verba non ad *censeo,* quod antecedit, sed ad exordium illud senatus consultorum: *Quod M. Tullius verba fecit, de ea re ita censuerunt.*

§. 3.

Praeterito regente, quaecunque ad cogitationem subiecti primarii pertinet enuntiatio secundaria, in coniunctivo ponitur imperfecti vel plusquamperfecti. Ratio autem huius usus eadem est,

---

1) Die Constr. der lat. Zeitpart. Wien. 1873. p. 47 sqq.
2) Die Syntax von Quom und die Entwickelung der relativen Tempora im älteren Latein. Von Eduard Lübbert. Breslau. 1870. p. 191 sq. Confer tamen Hoffmann. l. c. p. 53. not.
3) l. c. p. 18 sq.
4) l. c. p. 17.

quam in interrogatione obliqua valere supra[1]) ostendimus. Refertur enim actio enuntiati secundarii ad tempus actionis primarii, ut eam illi subiunctam esse ipsò tempore significetur. Et imperfectum quidem coniunctivi respondet praesenti et imperfecto tam indicativi quam coniunctivi, nonnunquam etiam futuro indicativi, plusquamperfectum coniunctivi perfecto et plusquamperfecto tam indicativi quam coniunctivi, nonnunquam etiam futuro exacto indicativi.

Nihil igitur offensionis habet plusquamperfectum in enuntiatis consecutivis et similibus (qualitativis) positum. Confer de or. I, 26: *Quo quidem sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent.* Nam recta oratione sic diceretur: *multa deplorata et commemorata sunt, ut nihil inciderit postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante viderint* (vel *vidissent,* quoniam haec actio antecessit alteri illi praeteritae, quae indicatur verbo *inciderit*). de rep. II, 2: *Is dicere solebat ob hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rempublicam constituissent legibus atque institutis suis.* Recta oratione: *praestat .., quod .. fuerunt fere, qui ... constituerint.* Ibid. paucis interpositis: *Nam neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate.* Recta oratione: *neque ullum ingenium tantum exstitit, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuerit.* p. Rosc. Am. 65: *Nemo enim putabat quemquam esse, qui cum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset.* Recta oratione: *Nemo est, qui cum . . . polluisset* (vel *polluerit*)[2]) *somnum statim capere potuerit.*

§. 4.

De perfecto logico idem valet, quod in interrogationibus obliquis vidimus. Confer Cat. Mai. 80: *Mihi nunquam persuaderi potuit animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere, cum exissent ex iis, emori nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset, sed cum omni admixtione corporis liberatus purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem.* Praesens autem vel perfectum tum usurpari facile intellegitur, si perfectum praesenti mutari potest. Conf. de fat. 11: *Exstirpari autem et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis.*

---

1) cap. I. §. 2.
2) cf. Schaefer. in progr. Meserit. 1874.

de fin. II, 100: *Nam quod ita* *positum est, quod dissolutum sit, id esse sine sensu, id eiusmodi est, ut non satis plane dicat, quid sit dissolutum.* de fin. III, 39: *Non ita dicimus, ut cum illo, quod positum est, solum id esse malum, quod turpe sit, haec pugnare videatur oratio.* de fin. IV, 25: *Sed positum sit primum, nosmet ipsos commendatos esse nobis primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos.* de off. I, 160: *Quare hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate.* de leg. II, 15: *Sit igitur hoc iam a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos eaque, quae gerantur, eorum geri iudicio ac numine.* Idem perfectum *persuasum esse* perfecti vim retinuit de rep. I, 28: *Cui persuasum sit appellari ceteros homines, esse solos eos, qui essent politi propriis humanitatis artibus.* Non opus est hoc loco Bakii coniectura, qui *sint* pro *essent* scribi voluit, sed Mosero assentiendum est, qui in oratione obliqua post praeteritum imperfectum nihil habere offensionis dixit. Alia coniunctivi perfecti regentis haec sunt exempla. de fin. II, 10: *Quid paullo ante, inquit, dixerim, nonne meministi, cum omnis dolor detractus esset, variari non augeri voluptatem? Minime vero, inquam.*[1]) p. Sest. 60: *nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt, qui in contione palam dixerint, linguam se evellisse M. Catoni, quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset.* p. Planc. 46: *cur denique se divinare malueris, quam eos, qui scirent, iudicare.* de nat. deor. II, 80: *Postremo cum satis docuerimus hos esse deos, quorum insignem vim et illustrem faciem videremus, solem dico et lunam et vagas stellas et inerrantes et coelum et mundum ipsum et earum rerum vim, quae inessent in omni mundo cum magno usu et commoditate generis humani: efficitur omnia regi divina mente atque prudentia.* Petersius[2]) hunc locum ad suam attractionem revocat; quod quidem eodem respicit, quoniam consecutionem et attractionem eisdem principiis nasci supra[3]) docuimus.

Cum eis coniunctivis perfecti, qui pro futuro exacto positi sunt, itemque cum potentialibus, dubitativis, similibus praesentia vel perfecta coniunguntur. Conf. Brut. 25: *Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua sive exercitatione quadam, rem unam esse omnium difficillimam.* de fin. I, 53: *Itaque ne iustitiam recte quis dixerit per se ipsam optabilem, sed*

---

1) Nisi forte cum Lievenio l. c. p. 41 orationem obliquam a verbo *meministi* pendere putas. Conf. Lael. 2: *Memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, cum et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum forte multis erat in ore.* Conf. ad fam. XV, 11. de fin. II, 55. de rep. I, 23. p. Mil. 37.

2) l. c. p. 6.

3) cap. I. §. 2.

quia iucunditatis vel plurimum afferat. de div. I, 125: *Quin etiam hoc non dubitans dixerim, si unum aliquid ita sit praedictum praesensumque, ut, cum evenerit, ita cadat, ut praedictum sit, neque in eo quidquam casu et fortuito factum esse appareat, esse certe divinationem idque esse omnibus confitendum.*

§. 5.

Ad fam. IX, 3, 2 sic scriptum videmus: *Denique levissime qui suspicaretur et qui fortasse me optime novisset, putaret me idcirco discedere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possunt.* De hoc loco Petersius: 'Ernestius *possent* edidit', inquit, 'quo ea causa discendi significaretur, quam is, qui Ciceronem optime novisset, cogitaret; indicativo *possunt* autem, quem codex Mediceus exhibet, Cicero ipse hanc veram esse causam discedendi fatetur, quod quorundam hominum aspectum ferre non possit.'[1]) Perspicuum est ex hoc loco sententiam aliquam, quae ex cogitatione subiecti primarii dici deberet, ab eo, qui loquitur, ita posse exprimi, ut, quid re vera sit, cognoscatur. Potest autem etiam ita illa sententia ab eo exprimi, ut non factum illud, sed cogitatio ab ipso quoque proponatur, quod ita fit, ut coniunctivus praesentis vel perfecti adhibeatur.[2]) Neque hoc fieri non posse aperte ea re declaratur, quod haud raro in eis enuntiatis, quae cogitationem subiecti primarii continere videntur, pro reflexivis pronominibus demonstrativa inveniuntur, quibus locis quin cogitatio eius, qui loquitur, non subiecti primarii exprimatur, dubitari non potest. Conf. Verr. II, 4, 84: *Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos, homines honestissimos ac principes civitatis, Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos ac summa religione coleretur, quem P. Africanus Karthagine capta Tyndaritanis non solum suae victoriae sed etiam illorum fidei societatisque monumentum atque indicium dedisset, huius vi, scelere imperioque esse sublatum.* Imperfectum *coleretur* hoc loco positum est, quod sacra illa a Verre sublata erant.[3])

Recte Kuehnastius[4]) Draegerus[5]) alii repraesentari hac ratione cogitationem subiecti primarii dixerunt. Sed videamus exempla.

De fin. II, 83: *Posuisti etiam dicere alios, foedus quoddam inter se facere sapientes, ut, quem ad modum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos.* de nat. deor. I, 53: *Docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum: nihil opus fuisse fabrica tamque eam rem esse facilem, quam vos effici negatis sine divina posse sollertia, ut innumerabiles natura mundos effectura*

1) l. c. p. 13.
2) Conf. Madvig. ad Cic. de fin. IV, 19. p. 509.
3) Cf. Nipperd. Spic. in Corn. Nep. IV. p. 4—9.
4) Hauptpunkte der Liv. Syntax. p. 224.
5) l. c. p. 213; etsi nonnulla Draegerus huc refert aliena.

sit, efficiat, effecerit. de div. I, 78: *Magnum illud etiam, quod addidit Caelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum proelium fieret, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint terraeque deciderint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit;* quem locum ita iure huc referimus, ut infinitivum non a *magnum [est],* sed, ut est mos Latinus, ab *addidit* pendere arbitremur.[1]) Lael. 45: *Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam . . . partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus cet.* de imp. 24: *Iam hoc fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam.* p. Sull. 82: *Sed quia sunt descripti consulares, de his tantum mihi dicendum putavi, quod satis esset ad testandam omnium memoriam, neminem esse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, auctoritate incubuerit ad rempublicam conservandam.* ad fam. XVI, 23, 1: *Balbus ad me scripsit tanta se ἐπιφορᾷ oppressum, ut loqui non possit.* Non recte hoc loco Wesenbergius scripsit *posset.*[3]) de nat. deor. III, 10: *Primum fuit, cum caelum suspexissemus, statim nos intellegere esse aliquod numen, quo haec regantur.* Heindorfius ex uno codice Glogaviensi scripsit *regerentur.*[4]) Petersius[5]) autem: 'Cotta praesenti utitur', inquit, 'ut Balbi, quem refutaturus est, argumentum iisdem verbis, quibus ab ipso propositum sit, quantum fieri possit, repetat.' Apparet tali interpretatione audacissima non opus esse.

Habes enuntiata, in quibus coniunctivo etiam recta oratione utendum fuisset. Veniamus ad ea, in quibus, si recta esset oratio, indicativo Cicero usus esset.

De fin. III, 41: *Pugnare non destitit in omni hac quaestione, quae de bonis et malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum.* Ad hunc locum Madvigius haec annotat: 'Iure Wesenbergius coniunctivum modum miratur, quoniam neque intellegitur, cur hoc de eius partis nomine ex Carneadis persona proferatur, et, si ex eius persona dicitur, *appellaretur* dicendum fuisse videtur. Si vera scriptura est, praesens tempus ortum est ex confusione quadam eius, quod ex ipsius

---

1) Conf. §. 11. p. 44.

3) C. F. G. Muellerus ad Lael. ed. Seyff. p. 315 haec dicit: *Bei der Allgemeinheit dieser Sätze, der nur indirecten Abhängigkeit von placuisse, der Trennung von letzterem durch mehrere andere Sätze konnte umsomehr von der formellen Correctheit abgesehen werden, weil auch das placuisse selbst wie ein scripsisse sich in Gedanken leicht in ein placere umsetzt.* Harum excusationum nullam iustam esse existimo.

3) cf. Haas. ad Reisig. p. 551. not. 481.

4) cf. Dietrich. l. c. p. 42. not.

5) l. c. p. 14.

Catonis, et eius, quod ex Carneadis persona dicitur.' Atque hoc quidem recte fere iudicatum esse non abnuerim, etsi, quid sibi velint verba, haud facile intellegitur. Immo vero Cato cogitationem Carneadis ita suam fecit, ut ipse eam ut cogitationem, non ut rem veram proponat. de fin. II, 100: *Scripsit enim et multis saepe verbis et breviter aperteque in eo libro, quem modo nominavi, mortem nihil ad nos pertinere; quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu; quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere omnino.* ib. II, 108: *Quod vero a te disputatum est, maiores esse voluptates et dolores animi, quam corporis, quia trium temporum particeps animus sit, corpore autem praesentia solum sentiantur, qui id probari potest, ut is, qui propter me aliquid gaudeat, plus quam ego ipse gaudeat.* ib. IV, 56: *faterique coepit sapienti, hoc est summe beato, commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quae bona non audet appellare, naturae accommodata esse concedit;* quo loco Cicero verbis *si ea quoque habeat* cogitationem suam indicat, eis, quae sequuntur, quid re vera sit, exponit, cum *haberet auderet concederet* ex mente subiecti primarii poni potuerit. Tusc. V, 110: *Non sine causa igitur Epicurus ausus est dicere semper in pluribus bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus.* ad fam. III, 9, 1: *Iis vero literis lectis, quos Philotimo liberto meo dedisti, cognovi intellexique in provincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent; ad urbem vero ut accesseris, vel potius ut primum tuos videris, cognosse te ex iis, qua in te absentem fide, qua in omnibus officiis tuendis erga te observantia et constantia fuissem.* Recta oratione: *multi fuerunt, qui ... nollent; ad urbem vero ut accessisti vel .. vidisti, cognosti .., qua .. fuissem.* ib. VII, 3, 5: *Notum tibi omne meum consilium esse volui .. ., postea autem quam alicuius culpa tantum valeret* (recta: *valebat*) *unus, ut obsisti non posset, me voluisse pacem . . ., postquam non potuerim* (recta: *potui*), *mihi ipsi finem fecisse belli.* ib. XIII, 28, 1: *Sic est enim mecum locutus, te, ut meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia, multo vero plura et maiora fecisse.* ib. XIII, 29, 1: *Intellexi, ut primum per aetatem iudicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me a te imprimis coeptum esse observari, coli, diligi.* ad. Att. X, 4, 4: *Si, ut nos a te admonemur, recte in illis libris diximus nihil esse bonum, nisi quod honestum, nihil malum, nisi quod turpe sit, certe uterque istorum est miserrimus.* ib. XIII, 44, 3: *Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appelletur L. Corfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum.* de or. I, 71: *Nam illud quare, Scaevola, negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim, oratorem perfectum esse debere?* p. Quinct. 86: *Docui, cum desertum esse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullum fuisse; quo die hunc sibi promisisse dicat, eo die ne Romae quidem fuisse.* ib. 89: *Omnino autem bona possessa non esse constitui, quod bonorum*

possessio *spectetur* *non in aliqua parte, sed in universis, quae teneri et possideri possint. Dixi domum Romae fuisse, quo iste ne* *aspirarit* *quidem, servos complures, ex quibus iste possederit neminem, ne* *attigerit* *quidem; unum fuisse, quem attingere conatus* *sit;* *prohibitum fuisse; quievisse.* Verr. II, 3, 147: *Ostendi iam illud initio, non existimandum magno vendidisse eum, qui verbo decumas* *vendiderit,* *re et condicione et lege et edicto et licentia decumanorum decumas aratoribus nullas reliquas fecerit.*[1])

Nonnullis locis ab altero tempore ad alterum transitur. Confer p. Quinct. 87: *Quod contra copiosissime defensum esse* *contendi,* *non ab homine alieno neque ab aliquo calumniatore atque improbo, sed ab equite Romano, propinquo ac necessario suo, quem ipse Sex. Naevius procuratorem relinquere antea consuesset: neque eum, si tribunos* *appellarit,* *idcirco minus iudicio pati paratum fuisse.* de or. I, 219: *Neque vero istis tragoediis tuis, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse; perturbor, quod ita* *dixisti,* *neminem posse eorum mentes, qui* *audirent,* *aut inflammare dicendo aut inflammatas restinguere, cum eo maxime vis oratoris magnitudoque* *cernatur,* *nisi qui hominum naturas, mores atque rationes penitus* *perspexerit,* *in quo philosophia sit oratori necessario percipienda.* Perversissime Pideritus *audirent* ad *dixisti, cernatur* et *perspexerit* ad *restinguere posse* relata esse censet; nam istud usui Latino vehementissime adversatur, quoniam infinitivus praesentis a praeterito pendens nunquam non praeteritorum consecutionem habet. Recte fere Petersius[2]) Antonium praesentis forma *cernatur* usum esse putat, ut indicaret, quod Crassus antea dixisset, maximam vim oratoris cerni in mentibus hominum aut inflammandis aut restinguendis, id etiam sibi ipsi persuasum esse; nam si dixisset *cerneretur,* futurum fuisse, ut solius Crassi hanc sententiam esse fateretur. — Praeterea confer de fin. IV, 20.[3])

§. 6.

Quae cum ita sint, si cum eis perfectis, quae habent enuntiata secundaria primariis, in quibus praesens positum est, subiuncta, ut actio antecedens significetur, praesentia vel perfecta coniunguntur, non oportet concludere, id quod vult Lievenius,[4]) talia perfecta habere etiam praesentis consecutionem temporum. Pertinent autem huc hi loci. de fin. IV, 46: *Minime vero illud probo, quod, cum* *docuistis,* *ut vobis videmini, solum bonum esse, quod honestum* *sit,* *tum rursus dicitis initia proponi necesse esse apta et accommodata naturae, quorum ex selectione virtus possit exsistere.* Tusc. III, 62:

1) cf. de rep. III, 10. Vid. infra §. 12.
2) l. c. p. 14.
3) cf. §. 6.
4) l. c. p. 17.

Sed ad hanc opinionem magni mali cum illa etiam opinio accessit, oportere rectum esse ad officium pertinere ferre illud aegre, quod acciderit, tum denique efficitur illa gravis aegritudinis perturbatio.

Eundem repraesentationis usum in coniunctivis perfecti invenimus. Confer de fin. V, 84: *Quippe, inquiet, cum tam docuerim gradus istam rem non habere quam virtutem, in qua sit ipsum etiam beatum.*

Atque etiam in imperfectis hic usus Latinus est. Confer Verr. II, 3, 204: *Ex quibus hoc eis, qui aderant . . . . indignissimum videbatur, qua in re senatus optime ac benignissime cum aratoribus egisset, large liberaliterque aestimasset, in ea re praedari praetorem, bonis everti aratores, et id non modo fieri, sed ita fieri, quasi liceat concessumque sit.* Verr. II, 4, 98: *Nam quia, quam pulchra essent, intellegebat, idcirco existimabat ea non ad hominum luxuriem, sed ad ornatum fanorum atque oppidorum esse facta, ut posteris nostris monumenta religiosa esse videantur.* Quo loco verba *ut . . videantur* ex Ciceronis persona addita esse et Halmius et Richterus annotavit, hic tamen intercidisse aliquid statuit, quo transitio fieret expeditior, quod minime necessarium esse ex eis, quae nos exposuimus, apparet. p. Rosc. Am. 53: *Id erat certi accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia ac peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret.* Draegerus[1]) hoc quoque loco *potuerit* ad evitandum condicionale illud *potuisset* positum esse putat. de leg. II, 49: *Nam illi quidem his verbis docebant, tribus modis sacris astringi: hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat, aut, si maior pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit.* Hoc loco indicativus *legata est* demonstrat verba *hereditate cet.* ex mente Ciceronis dicta esse. de fin. II, 53: *Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te, animi conscientia improbos excruciari, tum etiam poenae timore, qua aut afficiantur aut semper sint in metu, ne afficiantur aliquando.* Usus enim Latinus fert, ut oratio obliqua non a verbis *sunt levia,* quibuscum praesertim accusativus cum infinitivo coniungi non possit, sed a *dicebantur* vel potius *dicebatur,* quod subaudiendum est, pendeat. Quodsi codices aliquot, quos tamen Madvigius sequi non oportere dicit, *afficiuntur* et *sunt* exhibent, hae lectiones a scribis profectae esse videntur, ne contra consecutionem temporum peccatum esset. de nat. deor. I, 105: *Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in eo ullam soliditatem neque eandem ad numerum permanere eamque esse eius visionem, ut similitudine et transitione cernatur, neque deficiat unquam ex infinitis corporibus similium accessio, ex eoque fieri, ut in haec intenta mens nostra beatam illam naturam et sem-*

1) l. c. p. 214.

piternam *putet.* de nat. deor. III, 9: *Sed quia non confidebas tam esse id perspicuum, quam tu velis, propterea multis argumentis deos esse docere voluisti,* ubi Ernestius Baiterus Schoemannus contra auctoritatem codicum scribunt *velles,* Draegerus[1]) recte *velis* mutandum esse non putat. Ac. I, 45: *Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset: sic omnia latere in occulto. Neque esse quidquam, quod cerni aut intellegi possit.* Hoc quoque loco Ernestius Orellius Baiterus scripserunt *posset;* sed recte Dietrichius[2]) in eiusmodi locis cur quidquam mutemus, iustam causam nullam videri dicit, nisi quae a codicum auctoritate proficiscatur.[3]) ad Att. II, 16, 2: *Nam adhuc haec ἐσοφίζετο, se leges Caesaris probare, actiones ipsum praestare debere, agrariam legem sibi placuisse, potuerit intercedi necne, nihil ad se pertinere.*[4])

Plusquamperfecti indicativi nullum inveni exemplum. Sed coniunctivum imperfecti et plusquamperfecti ita coniungi cum praesenti vel perfecto singuli loci probant. Confer de fin. IV, 20: *Quid enim perversius . . ., quam bonam valetudinem . . . ponere in bonis potius quam dicerent* (sic enim cum Madvigio e codicum auctoritate est scribendum), *nihil omnino inter eas res iisque contrarias interesse? ea enim omnia, quae illi bona dicerent, praeposita esse, non bona . . ., cumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit, tamen quaedam deesse sapientibus tum, cum sint beatissimi cet.* ad Att. XVI, 11, 4: *Cum initio divisisset ita, tria genera exquirendi officii esse, unum cum deliberemus, honestum an turpe sit, alterum utile an inutile, tertium cum haec inter se pugnare videantur, quomodo iudicandum sit, qualis causa Reguli, redire honestum, manere inutile: de duobus primis praeclare disseruit.* Errat autem Zumptius,[5]) cum praesens idcirco adhiberi putat, quod illa sententia omnibus temporibus valeat.

§. 7.

Praesens historicum ut in interrogatione, sic in oratione obliqua utramque consecutionem habet. Confer p. Cluent. 72: *hoc addit testimonii sua illum sententia, cum palam omnes laturi essent, condemnatum iri.* p. Quinct. 66: *Testatur isto audiente se pro communi necessitudine id primum petere, ne quid atrocius in*

---

1) l. c. p. 297.

2) l. c. p. 17. not.

3) Inepte Goerenzius ad h. l. ideo nonnunquam tempora mutata esse dicit, quia ex nimis crebro imperfecti usu lectori taedium subrepere posse scriptores reformidarint.

4) Quare defendi potest Ruhnkenius contra accusationem Reisigii (lect. gramm. ed. Haas. p. 592), qui eum vituperat, quod in elogiis Hemsterhusii ter quaterve cum imperfectis in oratione obliqua perfectum coniunxerit.

5) gramm. §. 516. not. 1.

P. Quinctium absentem sine causa facere conetur. ad Att. IV, 3: *Metellus postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur; nihil esse, quod in campum nocte veniretur.*[1])

Etiam cum eo praesenti, quod ad dicta vel iudicia scriptorum et philosophorum usurpatur reddenda, nullo sententiarum discrimine tam imperfecta vel plusquamperfecta quam praesentia vel perfecta coniunguntur. Conf. de nat. deor. I, 40: *Idemque disputat aethera esse eum, quem Jovem appellarent: quique aer per maria manaret, eum esse Neptunum terramque eam esse, quae Ceres diceretur.* de off. I, 87: *Miserrima est omnino ambitio honorumque contentio, de qua praeclare apud eundem est Platonem, similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rempublicam administraret, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret.* Hoc loco Orellius lectionem deteriorum codicum *contendant* et *administret* reiecit et, quod antiquissimis confirmatur libris, scripsit. de or. III, 129: *Hic in illo ipso Platonis libro de omni re, quaecunque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur.* de fin. II, 34: *quod ita interpretantur, vivere cum intellegentia earum rerum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, reiicientemque contraria,* ubi Ernestius legi voluit *eveniant.*[2]) de nat. deor. I, 12: *Ex quo exsistit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quendam insignem et illustrem, iis sapientis vita regeretur.* Quo loco Schoemannus et Baiterus Heindorfium secuti scripserunt *exstitit;* sed interpretandum est: *exsistit illud, quod Academici dicunt* (vel *dixerunt*).[3]) Item de fin. III, 71 post *defenditur* sequuntur imperfecta. Confer praeterea de or. III, 221. p. Scaur. 5. Ac. I, 22. Tusc. V, 19.

Nonnunquam ab altero tempore ad alterum transitur. Confer de fin. III, 67: *Praeclare enim Chrysippus, cetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suae, ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine iniuria; quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet, qui id conservaret, eum iustum, qui migraret, iniustum fore.*[4]) ib. II, 21: *Idque si ita dicit (Epicurus), non esse reprehendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde, similiter et si dicat, non reprehendendos parricidas, si nec cupidi sint nec deos metuant nec mortem nec dolorem. Et tamen quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dari aut fingere aliquos, qui cum luxuriose viverent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine dumtaxat,*

---

1) Plura invenies apud Bassium l. c. I. p. 7. et 10.
2) cf. Dietrich. l. c. p. 23. Reisig. p. 593.
3) cf. Dietr. l. c. p. 9.
4) cf. Madvig. ad h. l. p. 459.

cetera caverent. Tusc. IV, 46: *Reliquas quoque partes aegritudinis utiles esse dicunt (Peripatetici) . . . . ipsum illud aemulari, obtrectare non esse inutile, cum aut se non idem videat consecutum quod alium aut alium idem quod se; metum vero si qui sustulisset, omnem vitae diligentiam sublatam fore, quae summa esset in eis, qui leges, qui magistratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent.* Vide praeterea de nat. deor. I, 39[1]) et de fin. IV, 58, ubi post *dicunt (Stoici)* primum praesentia sequuntur *(videatur, sint, cet.),* tum §. 59 ad imperfectum transitur *(quod honestum esset),* deinde ad praesens reditur *(si proposita sint),* postremo iterum imperfectum adhibetur *(essemus ornati).*[2])

Itemque ab infinitivo *dicere* ad reddendas philosophorum sententias primum imperfectum, postea praesentia pendent Lael. 46: *Alios autem dicere aiunt multo etiam humanius . . . ., ut quisque minimum firmitatis haberet minimumque virium, ita amicitias appetere maxime; ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant, quam viri, et inopes quam opulenti, et calamitosi quam ii, qui putentur beati.*

Quae cum ita sint, facile intellegitur, qui fieri potuerit, ut Cicero in Cat. Mai. 78, cum verbis *sic mihi persuasi, sic sentio* satis indicasset suam se sententiam esse expositurum, in media tamen oratione, cum eandem esse Platonis meminisset, a praesentibus ad imperfectum *(cum simplex animi natura esset cet.)* ita transiret, ut paullo post ad praesens rediret.[3]) Et de nat. deor. II, 126: *quam cum gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore,* Draegerus vehementer errat, cum plusquamperfectum a praecedentibus praeteritis pendere censet,[4]) immo vero quoniam illud ipsum, de quo Cicero loquitur, a nonnullis scriptoribus veteribus traditur,[5]) Ciceronem eorum, qui de hac re scripserant, meminisse putandum est. Nisi forte Petersii[6]) sententiam probas, qui formam orationis ab initio institutam retinuisse Ciceronem dicit, perinde ac si, ut paullo ante *morerentur* dictum est, sequeretur *sagittae exciderent e corpore.*

Omissum est verbum tale aliquod, quod sententiam philosophi exprimat, Tusc. III, 47: *secum ipse pugnat (Epicurus), modo enim (sc. dicit* vel *dicebat) ne suspicari quidem se quidquam bonum, nisi sensus quasi titillarentur voluptate, nunc autem (sc. dicit) summam voluptatem esse dolore carere.* Quo loco Bentleii

---

1) cf. Dietr. l. c. p. 15.

2) cf. Dietr. l. c. p. 18 sq., qui id, quod multi dixerunt, praesentibus ea contineri, quae ad omnes homines et omnia tempora spectarent, bene refutavit.

3) cf. Dietr. l. c. p. 13. et Madvig. ad Cic. de fin. p. 459.

4) l. c. p. 294.

5) cf. Schoemann. ad h. l.

6) l. c. p. 7.

coniectura, qui *titillentur* maluit, non opus esse omnes nunc consentiunt.

§. 8.

Venio nunc ad praesentis praegnantis consecutionem. Ac si de or. I, 254 sic scriptum videmus: *Solet idem Roscius dicere se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum,* imperfectum positum est, quod cogitatio Roscii non praesens, ut indicare videri potest illud *solet dicere,* sed praeterita a Cicerone fingitur, ut explicandum sit: *et solet dicere et solitus est.* de off. III, 13: *Etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturae vivere, id habet hanc, ut opinor, sententiam: cum virtute congruere semper, cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent.* Recte Lievenius interpretatur: *Stoici ita intellexerunt.*[1]) Falso autem iudicavit de Ac. II, 140: *Audi contra illos, qui nomen honestatis a se ne intellegi quidem dicant, nisi forte, quod gloriosum sit in vulgus, id honestum velimus dicere: fontem omnium bonorum in corpore esse, hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae, a qua qui aberravisset, eum nunquam, quid in vita sequeretur, habiturum.* Nam quod *hanc praescriptionem esse* aequale dicit, *hoc praescriptum esse,* non videt enuntiatum *a qua qui cet.* pendere ab *audi,* non ab *hanc praescriptionem esse,* quod ne ita esse suspicemur, relativo *a qua* vehementer impedimur. Ita igitur interpretandum est, ut ex *audi illos* subaudiendum esse dicamus *illi docent* vel *docuerunt.* de nat. deor. III, 70: *Huic loco sic soletis occurrere: non idcirco non optime nobis a diis esse provisum, quod multi eorum beneficio perverse uterentur.* Sic intellegi necesse est: *et soletis occurrere et soliti estis.* Minime vero probandum est, quod Draegerus voluit, imperfecto *uterentur* propter antecedentem infinitivum perfecti Ciceronem usum esse.[2]) de fin. IV, 47: *Vos ad naturam revertemini. Quibus natura iure responderit, non esse verum, aliunde finem beate vivendi, a se principia rei gerendae peti; esse enim unam rationem, qua et principia rerum agendarum et ultima bonorum continerentur.* Transcribo Madvigium, qui ad hunc locum dilucide sic annotavit: 'Prorsus notabiliter Cicero, cum apte ad id, quod praecedit *(revertemini),* orsus esset a futuro potentiali, orationem ad aliud tempus transtulit *(continerentur, esset explosa, interesset cet.).* Apparet Ciceronem orationis initii oblitum, visum esse sibi supra aut narrasse, quid Zenoni ad naturam revertenti accidisset *(quaerenti natura iure respondebat),* qua forma §. 55 utitur *(minus probabantur cet.),* aut condicionaliter locutum esse *(si ad naturam reverteremini, iure illa vobis responderet).*'

1) l. c. p. 18 sq.
2) l. c. p. 297.

Verr. I, 4: *qui ita dictitat (sc. et dictitavit), eis esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent, se tantum eripuisse, ut id multis satis esse possit.* p. Mil. 96 sq. post *addit (Milo)* primum praesentia, tum tamquam si praecesserit *addidit,* quod utique fieri potuit, imperfecta sequuntur.[1])

§. 9.

Infinitivum historicum consecutionem habere praeteritorum apparet ex loco p. Rosc. Am. 28: *Ita loqui homines: quod iudicia tam diu facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset.*

Itemque cum eo infinitivo praesentis, qui a verbo *meminisse* pendet, quoniam imperfecti vim continet, imperfecta vel plusquamperfecta coniunguntur. Catil. I, 7: *Meministine me ante diem XII Kalendas Novembres dicere in senatu fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI Kal. Novembres, C. Manlium?* Conf. Cat. Mai. 30. ad fam. III, 10, 6.

§. 10.

De coniunctivis imperfecti et plusquamperfecti hypotheticis idem dicendum est, quod supra in interrogationibus obliquis fieri diximus.[2]) Confer Tusc. III, 35: *Diceres aliquid et magno quidem philosopho dignum, si ea bona esse sentires, quae essent homine dignissima.* p. Sull. 5: *An vero in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina reipublicae viderem, in his me apparere nollem, quorum ego illum in locum atque in hanc excelsissimam sedem dignitatis atque honoris multis meis et magnis laboribus et periculis ascendissem.*[3])

Aliis locis praesens vel perfectum invenitur, sive repraesentatio, qualis in omnibus praeteritis fieri potest, hic quoque facta est, sive vis modalis, non temporalis valuit. Conf. Tusc. V, 18: *Quod ni ita esset, cur Stoicus, si esset quaesitum, satisne ad beate vivendum virtus posset, multa diceret? cui satis esset respondere, se ante docuisse, nihil bonum esse, nisi quod honestum esset* (quod pendet a regente *docuisse); hoc probato consequens esse beatam vitam virtute esse contentam; et quomodo hoc sit consequens illi, sic illud huic, ut, si beata vita virtute contenta sit, nisi honestum quod sit, nihil aliud sit bonum.* Hoc loco ab imperfectis ad praesentia orationem traductam esse Petersius censet, ne, si condicionalis forma continuaretur, veritas sententiarum in dubitatione collocata esse videretur.[4]) ad fam. V, 17, 3: *Illud utinam ne vere scriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet.*

1) cf. Halm. ad h. l. et Bassium l. c. I, p. 11. II, p. 5. Nisi forte cum Kramarczikio (l. c. p. 14) imperfectum condicionale esse existimamus.
2) Cap. I. §. 11. p. 25.
3) cf. Peters. l. c. p. 3 sq. Draeger. l. c. p. 290 sq.
4) l. c. p. 13.

§. 11.

Ab interpositis sententiarum partibus oratio obliqua pendet his locis. Tusc. V, 33: *Non ego hoc loco id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit quodque eius auditori Aristoni, bonum esse solum, quod honestum esset, sed si ita esset, tum ut totum hoc beate vivere in una virtute poneret.* Nam *esset* hoc loco pendet a *placuerit,* non, ut exspectaveris, a *verumne sit.*[1]) Ad idem hoc dicendi genus referendum est de rep. I, 27: *Quam est hic fortunatus putandus, ... qui, ut Africanus avum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, nunquam se plus agere, quam nihil cum ageret, nunquam minus solum esse, quam cum solus esset.* Recte Dietrichius[2]) verba interposita *solitum esse dicere* effecisse dicit, ut scriptor in commemoranda sententia ipsa imperfectis uteretur, ad eum, cuius afferebat verba, respiciens. Madvigius eadem ratione interpretatur de fin. III, 39: *Constituto autem illo, de quo ante diximus, quod honestum esset, id esse solum bonum, intellegi necesse est cet.* (quo loco ante Goerenzium contra codicum auctoritatem scribebatur *sit*), cum annotat: 'Cicero rettulit ad *diximus*'. Sed, ut iam Dietrichius[3]) monuit, etiamsi verba illa *de quo ante diximus* non essent interposita, tamen imperfectum, quoniam participium perfecti *constituto* antecedit, retinendum esset.[4])

Quodsi de rep. II, 57 scriptum videmus: *Id enim tenetote, quod initio dixi, nisi aequabilis haec in civitate compensatio sit et iuris et officii et muneris, ut et potestatis satis in magistratibus et auctoritatis in populo sit, non posse hunc incommutabilem rei publicae conservari statum,* praesentia non ad *tenetote,* sed per repraesen-

---

1) De hoc loco vexatissimo quid sentiam, ut paucis hic adiungam, enuntiatum illud *ut totum . . . poneret* substantivum esse et a *verumne sit* pendere, cuius altera significatio, qua idem est, quod *rectum est* (conf. Hor. ep. I, 7, 98: *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est*) per zeugma in altera enuntiationis parte post *sed* subaudiatur oportet. Hac autem significatione *verum est* cum *ut* coniungi intellegitur ex eis exemplis, quae Draegerus (Synt. hist. II p. 271) collegit. Cf. Tusc. III, 73., Porro in talibus enuntiatis substantivis aliquoties a praesenti pendere imperfectum non condicionale probatur his locis: Verr. II, 4, 11 *(veri simile non est, ut anteponeret),* p. Sull. 57 *(veri simile non est, ut ab se dimitteret)* p. Sest. 32 *(parumne est, ut neglegeres;* confer, quod sequitur, *etiamne edicere audebas* — sic enim scribendum est pro *audeas* — non *ausus es,* quod si dictum esset, legeretur *neglexeris).* Reliquum est, ut doceam, quid de imperfecti coniunctivo *si ita esset,* qui ad irrealem condicionem pertinere non potest, iudicandum sit. Et coniunctivo quidem usus est Cicero, quod spectat ad enuntiatum regens *(ut . . poneret)* in coniunctivo positum; imperfectum autem per attractionem quandam explicandum est, de qua cap. I. §. 2. diximus. Poni igitur potuit: *sed si ita est, rectene fecerit, quod ponebat* (vel *poneret*).

2) l. c. p. 36.

3) l. c. p. 35.

4) cf. cap. I. §. 8. p. 24.

tationem ad *dixi* (confer simillimum locum de rep. III, 10) referenda esse licet existimare.

§. 12.

Diximus de eis enuntiatis secundariis orationis obliquae, quae accusativo cum infinitivo intercedente cum primario cohaerent. Sed est etiam aliud orationis obliquae genus, quo cogitatio subiecti primarii enuntiato secundario, imprimis a relativo vel a coniunctione *quod* ordiente, expressa cum enuntiato primario verboque regenti ita coniuncta est, ut nihil sit interpositum. In his igitur enuntiatis leges prorsus eaedem valent.

Ac praesenti regente plerumque praesens vel perfectum invenitur. Quod cum sit notissimum, exempla in medium proferre nolo praeter duos locos, ubi Petersius,[1]) quem Draegerus[2]) sequitur, hanc esse rationem coniunctivi, quod sententia ex mente subiecti primarii dicta esset, non vidit. de rep. I, 11: *Maximeque hoc in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet, quod, qui tranquillo mari gubernare se negent posse, quod nec didicerint nec unquam scire curaverint, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maxime fluctibus.* Hoc loco Petersius *profiteantur,* quod indicativus deberet esse, interpositorum coniunctivorum formam accepisse censet. At quaenam causa est coniunctivi *negent?* Nam voce *iidem,* credo, prohibemur, quominus qualitativam vel concessivam vim in coniunctivo inesse putemus. Nihil igitur aliud relinqui video, nisi ut ipsos coniunctivos *negent, didicerint, curaverint* propter *profiteantur* positos esse, hoc autem ut ex cogitatione mirantis dictum iudicemus.[3]) Idem dicendum est de loco de nat. deor. I, 20: *Sed illa palmaris, quod idem, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum.*[4]) — Atque etiam in huiusmodi enuntiatis imperfectum cum puro praesenti coniungi posse apparet ex Verr. II, 2, 191: *Laudantur oratores veteres, Crassi illi et Antonii, quod crimina diluere dilucide, quod copiose reorum causas defendere solerent.* Nam quod Motschmannus[5]) dicit, praesens idem valere quod *laudati sunt laudarique solent,* sententiarum conexu refellitur, quo ne vim aliquam perfecti in *laudantur* suspicemur inesse, impedimur.

Cum praeteritis imperfecta vel plusquamperfecta coniunguntur. Confer Cat. Mai. 45: *Bene enim maiores accubitionem epularem ami-*

---

1) l. c. p. 9.
2) l. c. I. p. 293 sq.
3) Ceterum tam audacem modorum attractionem, quam Petersius sumit, fieri posse nego omnesque locos, quos affert, alia ratione facillime expedio.
4) Quod ad hunc locum emendandum — est enim *palmaris* offensioni — attinet, conferenda est annotatio editionis Orellianae et Dietrich. l. c. p. 45 sq.
5) l. c. p. 20.

corum, quia vitae coniunctionem haberet, convivium nominarunt. Tusc. V, 105: *Quid? Aristides — malo enim Graecorum quam nostra proferre — nonne ob eam causam expulsus est patria, quod praeter modum iustus esset?* ad Att. II, 1: *Paetus omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donavit.* de off. III, 112: *Criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset.* de or. III, 52: *Nemo enim unquam est oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus . . . Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut qui adessent, intellegerent, quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset.* Tusc. I, 7: *Hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere.* de off. I, 126: *Corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu, quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae aspectum essent deformem habiturae atque foedum, eas contexit atque abdidit.* Nam *esset* et *essent habiturae* ex mente naturae, ut ita dicam, posita sunt. — Sin autem perfectum logicum praesenti mutari potest, praesens vel perfectum usurpatur. Conf. Brut. 137: *Est enim propositum colligere eos, qui hoc munere in civitate functi sint, ut tenerent oratorum locum.*

Atque quod fit in reliqua oratione obliqua, ut, quo clarius sententia quasi sub oculos admoveatur, praesens vel perfectum post praeterita ita inveniatur, ut eius, qui loquitur, non subiecti primarii proponatur cogitatio, idem in huiusmodi enuntiatis fieri potest. Confer de rep. III, 10: *Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles, de iustitia multa dixerunt asserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet et, cum ceterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse iustitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit nec occulta, sed foras tota promineat et ad bene faciendum prona sit, ut quam plurimis prosit.* Hoc quidem loco facillima fuit repraesentatio, propterea quod ea, quae philosophi illi dixerunt, etiamtum legebantur, cum Cicero scripsit, ita ut etiam praesens *dicunt* poni potuerit. p. Tull. 38: *quid attinuit te tam multis verbis a praetore postulare, ut adderet in iudicium 'iniuria', et quia non impetrasses, tribunos plebis appellare, et hic in iudicio queri praetoris iniquitatem, quod de iniuria non addiderit?* ubi Madvigius mutavit *addidisset.* de nat. deor. I, 77: *Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius videatur.* Schoemannus primo *videtur,* postea *videbatur* scripsit. At coniunctivo usus est Cicero, quod opinionem illam non ut veram, sed ut cogitatam refert, praesenti, quod eam cogitationem, non ut eorum, qui opinabantur, poetarum, pictorum, opificum, sed ut suam, quo melius repraesentaretur, ex-

pressit. p. Balb. 57: *Obiectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit.* Etsi *obiectum est* pro praesenti haberi potest.

Coniunctivo perfecti regente imperfecto vel plusquamperfecto utendum est. Quare p. Planc. 46: *Hanc tu rationem cum fugeris cumque eos iudices habere nolueris, quorum in huius delicto cum scientia certissima, tum dolor gravissimus esse debuerit* non ex mente subiecti primarii positum est *quorum . . . debuerit,* sed coniunctivo usus est Cicero, vel quod subiunctum est enuntiatum primario in coniunctivo posito, vel quod qualitatem indicat, vel quod suam Cicero proponit cogitationem. Itemque de fin. IV, 19: *Scire cupio ... quidnam horum ab eo (Zenone) non sit probatum, quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint an quod cet. dixerint* positum est, vel quod subiunctum est enuntiatum primario coniunctivo, vel quod, ut Madvigii verbis utar, Cicero simul hoc rettulit ad Zenonis improbantis iudicium, tempus tamen verbi ex sua persona posuit, non plusquamperfectum ex Zenonis, id est quod repraesentatio facta est.

Post potentiales tantum vel similes coniunctivos perfecti praesens vel perfectum invenitur. Conf. Tusc. V, 76: *ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim.*

Infinitivos autem et participia praesentis vel futuri a praeteritis pendentia imperfectum vel plusquamperfectum sequi intellegitur ex loco de or. III, 1: *Instituenti mihi, Quinte frater, eum sermonem referre et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit.*

Praesens historicum utramque consecutionem habet. Confer Catil. III, 14: *Primum mihi gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea respublica maximis periculis sit liberata; deinde L. Flaccus et C. Pomptinus praetores, quod eorum opera forti fidelique usus essem, merito ac iure laudantur.* Itemque cum eis praesentibus, quae in sententiis scriptorum et philosophorum exponendis usurpantur, et imperfecta vel plusquamperfecta et praesentia vel perfecta coniunguntur. Confer Tusc. III, 63: *Aeschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiae mortem hostias immolavisset.*[1]) de div. II, 25: *Homerus querentem Iovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset.* Contra de off. II, 76: *Laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens.* de off. II, 53: *Praeclare in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur.*

---

1) Non recte igitur Dietrichius l. c. p. 21 hoc loco plusquamperfectum necessarium fuisse putat. Nec vero minus errat Bassius (l. c. p. 11), qui imperfectum et plusquamperfectum eis solere locis inveniri dicit, quibus enuntiatum secundarium cum primario accusativo cum infinitivo coniunctum sit.

§ 13.

Restat ut in ea oratione obliqua, quae pendet ab enuntiato vel interrogativo vel finali vel substantivo vel alio cogitationem subiecti primarii continente easdem leges valere paucis moneam.

Praesenti regente vel perfecto praesenti, si coniunctivus praesentis intercedit, praesentia vel perfecta adhiberi solent. Imperfectum autem (vel plusquamperfectum) raro usurpatur ita, ut vis eius propria, imprimis relativa, valeat. Exemplum inveni nullum. Nam p. Cluent. 152: *si constitutum sit, ut de eis, qui iudicarent, iudicium fieri possit,* recte P. Manutius nonnullos codices secutus scripsit *iudicarint.* Plusquamperfectum autem, quod scriptum videmus Phil. XIV, 38: *Ita censeo . . . senatui placere, ut C. Pansa A. Hirtius consules, imperatores, alter ambove, si eis videatur, iis, qui sanguinem . . . profudissent, monumentum quam amplissimum locandum faciendumque curent,* eadem ratione accipiendum est, qua Phil. XIII, 50, de quo loco §. 2. p. 31 diximus. Intercedente autem perfecti coniunctivo ea tempora adhiberi, quae recta oratione ponerentur, Kramarczikius Reuschius Lievenius Motschmannus plurimis exemplis demonstraverunt.[1]) Satis sit hos attulisse locos. ad fam. XIV, 12: *metuo, ne id consilii ceperimus, quod non facile explicare possimus.* ib. III, 9, 4: *idque a me recte factum puto, quod non statim, ut appellatus imperator sim, sed aliis rebus additis aestivisque confectis literas miserim.* de or. I, 9: *in qua difficile est enumerare, quot viri quanta scientia quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecunque possent* (recta oratione: *poterant*) *vel scientiae pervestigatione vel disserendi ratione comprehenderint.*

Praesenti historico regente, sive praesens vel perfectum sive imperfectum vel plusquamperfectum intercedit, imperfectum vel plusquamperfectum adhiberi potest. Conf. p. Quinct. 18: *Rogat, ut curet, quod dixisset.*

Praeterito autem regente imperfectum plerumque vel plusquamperfectum usurpatur. Confer p. Sull. 4: *Quod cum dicit, non attendit eum, qui patefecerit, hoc curasse, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum.*

Repraesentationis autem usum ad haec quoque enuntiata pertinere hi loci argumento sunt. de leg. III, 16: *Nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerit, esset.* Hoc loco coniunctivum perfecti *fuerit* et libri manu scripti ad unum omnes et quae ante Turnebum et P. Manutium in lucem prodierunt, editiones exhibent. Illi autem grammatica videlicet ratione ducti pro *fuerit* scripserunt *fuerat,*

1) Vide §. 2. p. 30. not. 1.

quae inde ab illo tempore vulgata lectio est. Tenuerunt enim eam, quod ego sciam, omnes editores, ut Goerenzius, Halmius, Baiterus, Klotzius, Bakius, Feldhuegelius, nisi quod Vahlenius in editione, quam nuper instituit, praestantissima traditam codicum lectionem tuetur, nullam tamen, cur ita fecerit, causam affert. Si quis autem forte dixerit, plusquamperfectum ob id ipsum necessarium fuisse, quod haec rês praeterita antecesserit alteri illi praeteritae, moneo, id quod Schaeferus[1]) demonstravit, Latinos saepius perfectis pro plusquamperfectis ita uti, ut rem praeteritam, non, ut exspectaveris, ad alteram praeteritam, sed ad suam loquentium aetatem revocarent. de leg. II, 48: *Exposite haec iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.* Quo loco Cicero si *venit* scripsisset, de certis quibusdam personis cogitasset, si *venisset,* non suam, sed eorum, qui illud instituerunt, cogitationem expressisset. ib. II, 64: *lege sanctum est, ne quis sepulchrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo.* ad fam. XII, 14, 4: *Quoniam consulibus decreta est Asia et permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant, rogo te cet.* Hoc quoque loco, si *obtinent* scriptum esset, certae personae dicerentur, si *obtinerent,* cogitatio permittentium, non Ciceronis, effingeretur.[2])

Reliquam huius de consecutione temporum Ciceroniana disputationis partem, quae est de ceteris enuntiatorum generibus, etsi materiem collectam habeo, elucubrare tamen adhuc per temporum angustias mihi non licuit, sed cum primum tempus feret, publici iuris faciam.

---

1) l. c. (progr. Meserit. 1874.)
2) Confer de hoc loco Lieven. l. c. p. 34. — Ceterum eundem repraesentationis in huiusmodi enuntiatis usum apud priscos scriptores Latinos invenimus. Confer Plaut. Pseud. 795:

Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit,
Ut esset hic, qui mortuis cenam coquat.

Asin. 443:

Nam retineri (aibat), ut, quod sit sibi operis locatum, efficeret.

Ter. Andr. 947:

More hominum evenit, ut, quod sim nactus mali,
Prius resciesceres tu, quam ego illud, quod tibi evenit, boni.

Confer de his locis Rothium l. c. p. 8.